


ex libris Nicolai Jannuzzi



Ex libris Nicolai Sannuzzi 1780

A

[redacted]

31 grani

ex Libris Nicolai [illegible]

[redacted]

ANTONII GENUENSIS

In Regia Neapolitana Academia

PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS

ELEMENTORUM

ARTIS LOGICO-CRITICÆ

LIBRI V.



VENETIIS,

Apud THOMAM BETTINELLI.

MDCCXLVI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Apes debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde quid quid attulere disponunt, ac per favos digerunt, & , ut Virgilius noster ait,

linquentia mella

Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Concoquamus ergo illa; alioquin in MEMORIAM ibunt, non in INGENIUM. Seneca epist. 84.



ILLUSTRISSIMO VIRO

Literarum Neapolitanarum Mæcenati optimo

MATTHÆO DE SARNO

ANTONIUS GENUENSIS.

S. D.

Gregie factum eſt & præclare, Matthæe de Sarno vir ampliſſime, ab iis qui veterum Reſp. legibus atque decretis inſtituerunt, quoniam quum alia multa in his, tum illud etiam decreverunt, ut in illis hominibus præcipue ornandis, atque illuſtrandis ratio haberetur maxima, qui & plurimum forent ipſi conſequuti in bonis ſtudiis atque honeſtis artibus, &, quocumque poſſent modo, cives ſuos in literis repurgandis & augendis juviſſent. Eam ob rem veteres non modo Mercurium, & Orpheum, & Apollinem, & Æſculapium inter Deos retulerunt, ſed eos quoque maximopere concelebrarunt, qui aut lectiſſimis bibliothecis, aut doctis congreſſibus literas ſeu jacentes excitare, ſeu rudes perpolire ſtuduerunt, veluti Philadelphum Ægyptii, Attalum Pergameni, Mæcenatem Romani, aliique alios. Quod egregie, ut dixi, & præclare

factum est: neque enim video qua in re utilior esse Reipublicæ optimus civis possit, nisi in hac sit, qua ad sapientiam suos & exemplis, & opibus adhortatur: quandoquidem sit, ut gravissime dictum est a Platone; *tunc sunt Resp. beatæ, quum aut Philosophi regnant, aut Reges philosophantur*, is facit ut & beati sint populares sui, & publica eorum res augescat in dies, atque floreat, & apud finitimas nationes (quod publicæ tranquillitatis interest plurimum) per omnium ora celebretur. Quæ quum sint, nemo est, qui minus recte a me factum dicere possit, quod Tibi potissimum hunc meum libellum dicare censuerim: Tu enim es, qui quum & sis ipse in melioribus literis, iis potissimum quibus hominum vita & beatitudo continetur, non mediocriter versatus; & agnoscas quantum sit in vera sapientia ad beate vivendum momenti, quantumque ea ad optimum Reipub. statum faciat, refertissimam incredibili impensa omnigenorum librorum bibliothecam extruxisti, & viros quosque in omni literarum genere cultissimos ex abditis laribus in publicum commercium revocatos, liberali congressu, doctisque sermonibus accepisti, & qua exemplo, qua adhortationibus effecisti, ut antiqui ruris abolerentur vestigia, quæ inter nostros

ad-

adhuc restabant. Tantam animi magnitudinem, communis civium boni amorem, rerum maximarum providentiam, æternis monumentis veteres sacravissent: nos vero nullo illustrabimus? Equidem quod ad me attinet, vir illustrissime, etsi intelligam me nec munificentiæ erga me tuæ, nec admirationi de te meæ, satis posse facere; at certum mihi est qualicumque potius; quam nullo gratianimi argumento, hæc testificari. Non est, fateor, liber meus rerum sublimium copia refertus: non antiqua eruditione distinctus: ne ad Critolai quidem libram expensus: e parvo est agello munusculum: est tenuitati parentis par: Ars est philosophandi, plana ea, & in medio omnibus posita: admoneo potius in ea tirones, quam doceo: virorum doctissimorum, qui periculis suis viam nobis patefecerunt, præcepta memoro: sed ea explico paullo clarius & distinctius, quam ceteri facere solent: nova quoque via & ratione trado. Hunc librum Tibi do atque dedico quin verear, quin æquissimo sis animo accepturus: scis enim probe, summis viris, & quum gentilitia virtute, tum potissimum sua claris, atque supra mortalium sortem positis, non tam munera, quam offerentium animum pensari. Accedit eodem, quod liber meus in tua est bibliothe-

ca natus, in ea etiam educatus: Si quid in eo boni eſt, totum quum tibi, tum etiam doctiſſimis viris, qui domi tuæ tam frequentes, tanque doctos agitant congreſſus, acceptum debeo: ergo & hoc nomine te omnium maxime ſpectat. Quid, ſi ita mihi beato eſſe liceat, ut librorum tuorum, quorum prope divinam ingenii vim admirari ſoleo, literariæ inſtitutioni uſui ſit futurus? Satis tum grande laboris mei præmium retuliſſe fatebor. Vale, vir præſtantiſſime, & reipublicæ literariæ bono nate.

Datam Neapoli Kalendis Septembribus anno vulgaris epochæ 1745.



ADO-

ADOLESCENTIBUS PHILOSOPHIS

ANTONIUS GENUENSIS

S.



Rodeunt, *optimæ spei adolescentes*, Elementa Artis Logico-criticæ. *Ea in* Metaphysica generali *indigitaveram : nunc, postquam intellexi studiose ea a vobis expeti, publica ex privatis facio.*

Quæ maxime in rem vestram communem fient. *Prius vero quam ad ejus adgredimini lectionem libelli, quibus vos opere magno esse oratos volo, eloquar. Adesse paratos audio, qui plurima mihi vertant crimini. Primum, etiamdum, inquiunt, Logicæ elementa ?* Ligna in lucum *defers. Qui si perpendant, hominum eruditionem perpetuo augeri, perpoliri, latissime provehi, ii & ar-*tem philosophandi *augeri, perpoliri, latissime provehi inficiari nequeunt, nec iis irasci, qui in id operam locant suam. Quid quod non dum artem Logico criticam undique perfectam habemus ullam ? Frontem contraxistis ? At tum demum scitote omnibus numeris absolutam datum iri Artem hanc, quum omnibus numeris absoluta humana erit sapientia, idest quum hominum animi eo, unde sunt profecti, remearint.*

Deinde non probant libertatem philosophandi *tam sæpe commendari. Quod ego duplici, eoque gravissimo consilio feci : nam nec philosophari eos censeo qui in aliorum verba, etiam invita ratione, jurant ; & veteres me docuerunt res, ut nimiam olim servitutem, quam*

Semi-

Semi-Christiani plerique Platoni & Aristoteli servivêrunt, pernicialem fuisse Religioni, ita esse posse, quam Itali Transmontanis serviunt. Forte fallar: at non certe fallor, si præcavisse non omnino superfluum putem. Accedit eodem, quod nulla quum sit in Europa gens mentis acumine, atque robore Italis par, nequeo non interdum mecum ipse subirasci ob hanc in re literaria servitutem, in quam ire occœpimus: ita enim efficimus, ut qui natura ceteros antecellimus, inertia sequamur.

Præterea non placet, me damnatæ memoriæ libros quosdam indicasse. At heic si meminerint me aut indigitasse tantum eos ex quibus profeci, ne ingratus viderer, aut sicubi commendo, addidisse, si per Ecclesiam liceat, *paulo fortassis æquiores in me erunt. Ceteroquin sic habeant, me nec scriptum velle, sed ne cogitatum quidem, quod ullo modo damnat Ecclesia: gravissimi enim illius Origenis verbi non modo recordor, sed reminiscor*, non habet Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam Matrem.

Tum, me non raro plautino per fricuisse sale viros doctos, dant crimini. Id vero ego non recolo: in vitia paullo vehementius invectum, fateor: hominibus peperci. Dissentio plerumque a viris doctis: eorum refello sententias: ineptas quasdam opiniones, perridiculas dico. At non idcirco clarissimorum virorum doctrinæ detractum volo. Eos vereor: commendo passim. Tantum ut ne etiam sine ratione eorum valeat autoritas, præcaveo. In hanc indurui sententiam, hominum esse neminem, qui quidpiam rationi præscribere valeat: Deo tantum, & Ecclesiæ, cui Dei adest Spiritus, Mentem omnem dedit: cetera liber sum. Hanc mihi qui libertatem invidet, is me ex homine pecudem efficere conatur.

Ad hæc ajunt, me timidos atque lentos in philosophando effi-

efficere adolescentes, quod mentis brevitatem, & imbecillitatem tam sæpe prædico. Ita, inquiunt, despondent animos tirones philosophi. Quid? adulari fas est iis, qui fidei sunt meæ concrediti? inanis spei plenos efficere? Ita confidentes, ut ea etiam pro veris affirment, quæ ignorant? Ego vero contra nunquam tam bene cum adolescentibus agi intelligo, quam quum ut in affirmando cauti sint monentur. Non ego igitur in philosophando lentos, sed cautos efficio tirones meos.

Tandem; in historia Logicæ viros quosdam insignes præteriisse addunt. Quasi vero integram omnium Logicorum historiam promiserim. Adde, me quorumdam, quum illam scriberem, ad manus codices non habuisse, in primis viri clarissimi Nicolai de Martina, a quo in Geometricis sum institutus, & quem honoris semper gratia nomino.

Atque hæc erant, quibus vos, optimæ spei adolescentes, oratos volebam. Vos autem alloquor, quod provectos philosophos nec tantum habere otii puto, ut puerilia hæc legant; nec si habeant legere amem: nimis enim eorum reformido judicia. Quas vero hoc libello res complexus sim, qui sequitur ostendet capitum index. Restat ut vos moneam, habere quidem vos posse Artis Logicæ libros plurimos, seu hunc, seu alios, idque parvulo impendio: Logici vero ut sitis non ita facile efficere posse: non enim libri, aut pauca artis præcepta id efficiunt, sed EXERCITATIO. Exercere ergo mentis vires necesse est eum, qui logicus, idest perspicax viri investigator, & disceptator esse vult. Id ut sciretis, mea, atque vestra intererat maxime. Valete.

CA-

CAPITUM
INDEX.

Cap.

LIB. III. De vero & falſo &c.

LIB. IV. De uſu autoritatis, & de arte Critica.

Cap. V.

Epistolæ, quas promisi, quum ob Autorum occupationes edi non potuerint, paulo post sequentur.

PRO-



PROLEGOMENA

DE ARTIS LOGICOCRITICÆ NATURA, ORIGINE, ET PROGRESSU.

§. I.

BEatitudinem omnes homines desiderare, atque ad eam vehementissimo naturæ desiderio ferri, notius est, quam ut demonstratione egeat. Nam quum omnes homines natura ipsa duce voluptatem persequantur, dolorem aversentur, omniaque voluptate, aut dolore moti agant (*a*): beatitudo vero posita sit in perfecta, æquabili, & certa voluptate, miseria vero in dolore, quem nulla sequitur voluptas; apertum est homines natura ipsa beatitudinem sequi, miseriam aversari, dum voluptatem natura sequuntur, dolorem natura horrent,

§. II.

POrro perfecta, æquabilis, & certa voluptas, qua beatitudo continetur (*ex §.1.*) ex certa *summi boni* possessione manat: nempe ut quicquid in nobis voluptatem ingenerat, quam nullus sequitur dolor, bonum est; ita quidquid perfectam, æquabilem, & certam voluptatem in nobis procreat *summum bonum*. Voco autem perfectam, æquabilem, & certam voluptatem, qua nulla esse aut major, aut securior, & magis duratura potest, quamque nullus metus, nulla su-

(a) *Legatur, si licet, totum caput* XXI. *libri* II. *de Intellectu humano Job: Lockii.*

suspicio, nullus dolor interturbat. Quicumque ergo beatitudinem adipisci vult, is studere debet, ut summum hoc & optimum bonum inveniat, idest ut res quæ in nobis dolorem, aut voluptatem creare possunt, cognoscat, iisque recte uti, aut frui discat. Quod quum sine sapientia fieri nequeat; efficitur ad beatitudinem consequendam sapientiam esse necessariam; adeoque non sine ratione hominibus cum desiderio beatitudinis a natura ipsa desiderium sapientiæ congenitum esse.

§. III.

Est autem sapientia rerum æternarum, factarum, & possibilium, earumque caussarum, finium, relationum, usuum *scientia*. *Scientia* vero cognitio certa usu *rationis* comparata: *ratio* autem vis percipiendi, cogitandi, ratiocinandi: & recta quidem ratio; quæ solidis principiis utitur, & justo atque necessario ordine ratiocinatur: corrupta & falsa, quæ aut non solidis principiis utitur, aut ex solidis principiis non justa infert consequentia. Sapientiam ergo hanc ut sibi comparent homines, qui natura beati esse cupiunt, oportet. Id autem fit *philosophia*, seu studio sapientiæ: nempe si quilibet studeat. 1. ut rationem augeat. 2. ut formet, 3. ut a morbis sive naturæ, sive consuetudinis purget. 3. ut ejus ope scientiam rerum æternarum, factarum, & possibilium, quoad capax est, acquirat. 4. ut hanc scientiam ad usum vitæ referat, idest, ut discat rebus uti, & frui, animoque pacato vivere, quod est vitam ex RECTA RATIONE instituere, quemadmodum veteres loquebantur Philosophi.

§. IV.

Et ad sapientiam quidem comparandam natura ipsa nos impellit. 1. desiderio sapientiæ, & sciendi curiositate. 2. *Rationis* munere, quo nos ornat. 3. Studio commodi. 4 Studio voluptatis. 5. Dolore & miseria; hinc illud, *quid non explorat egestas?* 6. Doloris & miseriæ metu. Itaque barbaræ ipsæ nationes nulla aliorum institutione, his caussis subagitatæ, ad plurimam sapientiam pervenerunt.

§. V.

§. V.

SEd fatendum est ingenue, sine *Arte* aliqua, & *Institutione*, primum sero tandem, quippe per longas ambages, ad sapientiam perveniri. 2. falsam plerumque scientiam acquiri, 3. eamque haud magnam. 4. confusam etiam, & obscuram. Quum qui arte philosophandi aliqua, & majorum institutione utitur, 1. & citius, 2. & facilius, 3. & rectiore via, 1. ad majorem, 2. ad clariorem, 3. ad sinceriorem scientiam pervenit. Ars igitur hæc & institutio, potissimum quum hominum vita brevissima sit & plurimis incommodis distracta, sapientiæ amatori necessaria est, nedum utilis.

§. VI.

VOcari autem hæc ars solet Logica. Dialectica, Dianoetica, Ars cogitandi, aliisque nominibus. Nos Artem Logicocriticam appellamus. Est enim ars, quæ rationem & judicium auget, format, atque regit in sapientiæ studio. Itaque quod ea discamus recta ratione uti, recteque & perspecte judicare, Logica est & Critica. Confecta autem est primum ex ipso naturæ lumine & prudentia, 2. Sedulo studio, exprimentis, & exercitio. Nam primum omnes homines in sapientiæ investigatione naturali quadam prudentia regi solent. Deinde exercitium, studium, experimenta vias veritatis investigandæ plurimas patefecerunt; aut quia capacitatem adauxerunt; aut quia errores, & errorum caussas, & fontes detexerunt.

§. VII.

EX his vero patet, Artem hanc non esse artem pompæ & victoriæ amore rixandi, qualis olim apud Græcos Sophistarum, *cujus principium fuisse id, quod visum fuerit disputanti, officium vero, contentionem, finem, victoriam*, scribit Clemens Alexandrinus (*a*): nunc vero apud Scholasticos, quorum idcirco Logica menti depravandæ aptior est, quam augendæ, purgandæ,

A 2 for-

(a) *Stromatωv lib.* 1.

formandæ. Deinde apparet Artem istam non esse quarumdam tantum disciplinarum peculiarem, sed generalem, & ad omnes scientias facilius, brevius, ordinatius discendas, aut tradendas comparatam. Itaque longe errant ii, qui solum Geometriæ, aut Algebræ studium pro Arte Logicocritica satis esse arbitrantur, quos jure reprehendit Vir emunctæ naris Johannes Clericus (*a*): nempe his studiis plurimum quidem mens in veritatis inquisitione juvatur, sed ad omnium disciplinarum studium, quod Logicæ officium est, haud præparatur. Præterea patet artem hanc non esse continendam iis terminis, quibus coerceri solet, nimirum solo operationum intellectus studio, ita ut ab Arte Critica separetur. Quum enim sapientiam aut ratiocinio nostro & experimentis, aut aliorum sensu & auctoritate perquiramus, jungenda est Logica, quæ ratiocinium format, cum Critica, quæ nos de aliorum auctoritate & sensu judicare docet. Imperfectæ sunt igitur Logicæ omnes, in quibus Critica desideratur, quales omnium ferme Recentiorum. Sed ut quid in hac arte omnium certe utilissima hucusque præstitum sit, cognoscatur; paullo altius de ejus origine & progressu disputandum est.

§. VIII.

Historiam Logicæ, præter alios, tribus libris nuper complexus est Vir eruditus Georgius Walchius (*b*). Vel minutissima quæque magna industria vir iste collegit. Nos pauca, & quæ tironibus satis sint. Vetus est litteratorum mos, ut, quum originem alicujus Artis quærunt, ab Adamo initium faciant: qui mos *litteratorum borea* vocatur a Vico nostro viro in primis clarissimo (*c*). Hinc Logicam Adamiticam passim audias memorari. Et sane ad hanc disciplinam quod attinet, quum Ada magna sapientia a Deo fuerit ornatus, dubitari non potest, quin usu rationis plurimum valuerit, idest quin

(a) *Præfat. in Logicam.*

(b) *Exstant in ejus Parergis Academicis editis Lipsiæ an.* 1721.

(c) *Lib.* 1. *Scientiæ novæ axiomate* 3. *edit.* 1730.

quin egregius fuerit Logicus. Sed an Ada regulas recte ratiocinandi in justam artem collectas filios suos & nepotes docuerit, id vero est, quod nullo modo scire possumus. Quam ob rem etsi non dubitemus, quin homines antediluviani, ut & postdiluviani ad Græcos usque Philosophos plerumque ratione recte usi sint, & plurima acute perviderint, & feliciter detexerint, naturali Logica utentes; at ante Græcorum Philosophorum ætatem Logicam nondum in Artem collatam fuisse confidenter asserimus: Quippe qui ex veterum monumentis, quæ supersunt, nihil tale suspicari possumus.

§. IX.

ITaque Eruditi consentiunt, prima Artis hujus rudimenta Eleatensibus Philosophis deberi, in primis Democrito, qui artem *geometricarum demonstrationum* quasi jure suo sibi adrogabat præ ceteris (*a*); & Zenoni Eleatensi, qui primus Dialecticæ inventor audit (*b*), quique 450. circiter annis epocham Christianam antevertit. Reapse quum in Schola Eleatensi a Pythagora usque Studia geometrica floruerint, dubitari vix potest, quin apud eos ars analytica, & synthetica, idest ars dianoetica & logica obtinuerit. Interim ex iis, quæ de Eleatensium Logica habet Petrus Gassendus (*c*) apparet ad Sophisticem, idest artem contentionum, horum philosophorum logicam, sero saltem, declinasse.

§. X.

CHristianus Thomasius (*c*) opinatur, Socratem tandem germanæ philosophiæ parentem, ejusque discipulum Platonem philosophorum facile principem; hanc Artem longe lateque promovisse. Ex scriptis sane Xenophontis & Platonis discimus, Socratem ejusque discipulos acute definivisse, divisisse accurate, opportune dubitasse, atque diligenter & ordine pervestigasse.

A 3 Tria

(a) *Apud Clem. Alex. lib.* I. *strom.*
(b) *Laërt. lib.* IX.
(c) *De origine & variet. Log. cap.* XI.
(d) *In Philosophia Aulica, cap.* 4 §. 7.

Tria autem sunt, quæ potissimum Socrati & Platoni debemus, 1. Artem recte definiendi vocabula, qua nihil utilius seu doceas, seu perquiras veritatem. 2. Artem dubitandi opportune, quæ Philosophiæ principium recte Ciceroni dicitur (a): qui enim dubitare nescit, is nec errores & præjudicia unquam pernoscet, nec occultas veritates investigabit. 3. Inductionem analyticam, qua nihil validius ad veritatis inquisitionem esse censet vir doctissimus Franciscus Baco à Verulamio (b).

§. XI.

SEd nondum tamen in justam artem Logica reducta ab ullo erat. Aristoteles primus id conatus est. Is fuit maximus scholæ Platonicæ alumnus, vir magno ingenio, & systematico. Testis est Franciscus Patricius ab eo 123. libros Logicos & Dialecticos scriptos fuisse, quorum magna hodie pars desideratur. Qua de re consuli potest Johannes Gerardus Vossius (c). Ceterum, quod in viro docto, & Matheseos non ignaro mireris, tota ferme Aristotelis logica in adornando syllogismo, & arte Synthetica occupata est: artem analyticam & criticam vix ferme attingit. Ineptit etiam plerumque, & in obscuris & confusis hæret, etiam in libris suis analyticis, qui potiores putantur. Interim non est confundenda Aristotelis Logica cum Logica scholasticorum. Scholastici enim aut Aristotelis libros nunquam legerunt, si paucissimos excipias: aut quum græce docti non essent, non intellexerunt: aut pro temporis depravato gustu pejora ex illis mutuati sunt. Uno verbo Sophisticem ex Aristotele egregie depromserunt, & auxerunt: artem vero Logicocriticam aut neglexerunt, aut ignorarunt. Legi posset Launojus de varia Aristotelis fortuna. Cave autem ne in Scholasticorum horum numerum referas B. Thomam: sic enim habe, neminem

(a) *De nat. Deor. lib.* 1. *cap.* 1.
(b) *In novo Organo.*
(c) *De origine & Constitutione Logicæ*, *cap.* 10.

nem unquam eo acutius, ſolidius, preſſius diſputaſſe: vir certe divinus & cultiori ſeculo dignus. Ariſtotelis logicam dedit nuper elegantem & lectu dignam vir politiſſimus Jacobus Facciolatus.

§. XII.

Convertamus nunc nos ad Stoicorum Sectam, cujus auctor fertur Zeno Citticus, & in qua Logicæ ſtudia floruerunt maxime. Arbitrabantur Stoici ſine hac arte neminem eſſe Sapientem, uti Laertius ſcribit (*a*). Ex hac Schola emerſit Chryſippus, qui acutis diſputationibus inclaruit circa Cæſaris Dictatoris tempora: quippe qui libros logicos 311. ſcripſit, quemadmodum idem Laertius narrat. Lepidiſſime autem Jupiter apud Lucianum (*b*) Chryſippi ſyllogiſmos frigidos vocat. Kekermanus (*c*) hæc vitia in dialectica Stoicorum notavit: 1. Quod nullum logicæ finem definiverunt, idcirco omnia ad oſtentandum diſputando ingenium contulerunt. 2. Præter præcepta quædam de Syllogiſticis formis ac captionibus pauca alia habuerunt. Unde Cicero, Stoicorum alias ſectator, aperte dicit, Stoicos judicandi partem diligentius perſequutos, de inventione non multa docuiſſe. 3. Methodice artem non conſtruxerunt ullam. 4. Inſignes & pueriles ſophiſtæ circa vocabula fuerunt, & ut a reliquis ſectis, in primis Peripateticis differre viderentur, novos excogitarunt terminos. 5. Stoicorum Logica chaos fuit confuſum ex ſyllogiſticis formis, & mirificis argumentandi ſpeciebus. Hæc ille. Negari tamen nequit Stoicos accurate diviſiſſe, atque definiviſſe, & acute ratiocinatos eſſe; quod probat artem analyticam non ignoraſſe.

(a) *Lib.* 7. *Segm.* 46.
(b) *Tom.* 2. *oper. pag.* 205.
(c) *Præc. Logic. tract.* 2. *cap.* 2. §. 15.

§. XIII.

ACcedamus ad Epicurum. Eum in hac arte nudum & inermem fuisse censuit Cicero (*a*). Sed nimium fuisse in Epicurum Ciceronem, apertum est (*b*). Nimirum contemsit Epicurus Stoicorum & Peripateticorum Sophisticem, & Eristicem, quæ obscurandæ potius veritati, quam detegendæ aptior erat. At artem Logicocriticam impense coluit, ut ex ejus Canonica, cujus epitomen nobis servavit Laertius (*c*), & quam doctissime est Gassendus commentatus (*d*), apparet. Quinimmo perspecte Vualchium scripsisse censeo, ex veteribus neminem Epicuro melius de re Logica meritum esse.

§. XIV.

CEnsuit autem Epicurus omnem in philosophia quæstionem institui posse, aut de *rebus*, aut de *vocabulis*. In quæstionibus de rebus duo momenta voluit ut observarentur. Veritas, & veritatis criterium. Veritatem aliam esse dicebat *essentiæ*, aliam judicii seu enunciationis. Veritatem essentiæ vocabat *id quo unaquæque res in ipsa rerum natura existens fit idipsum quod est, nihil aliud.* Veritas judicii dicebatur Epicuro *conformitas judicii aut mente comprehensi, aut ore pronunciati, cum ipsa veritate essentiæ.*

§. XV.

QUod ad veritatis criterium attinet, observavit, quod res, cujus veritas quæritur, aut ad solam contemplationem, aut ad vitæ quoque actionem spectet. Res naturæ, quæ ad contemplationem spectant, percipi docuit

(a) *De Finibus, lib. 1. cap. 7.*

(b) *Id fortasse duabus de caussis. I. Quod Academicæ & Stoicæ Philosophiæ, quibus adversabatur Epicurus, nimis favebat. II. Quod videbat nimis eam Sectam Romæ serpere, Patriæque moribus metuebat.*

(c) *Lib. x. Segm. 30. Legatur Vualchius de progressu & Fatis Logicæ, lib. 2. cap. 1. Sect. 1. §. 16.*

(d) *De origine & variet. Logicæ cap. 7.*

tuit aut sensu, aut mente: res vero vitæ & morales ipso affectu, seu appetitu. Itaque tria veritatis criteria, seu judices tres statuit: ex parte sensus *Sensionem*: ex parte mentis *Prænotionem*: ex parte *affectus*, Affectionem. Singulis autem criteriis suos præfixit canones; unde ejus Logica Canonica, idest *regulatrix*, est appellata.

§. XVI.

AD Sensionem canones retulit quatuor.

Primus est. *Sensus nunquam fallitur: ac proinde omnis sensio, omnisque phantasiæ seu apparentiæ perceptio vera est.*

II. *Opinio, seu judicium, est consequens sensum, sensionique superadjecta, in quam veritas aut falsitas cadit.*

III. *Opinio, illa vera est, cui vel suffragatur, vel non refragatur sensus evidentia.*

IV. *Opinio illa falsa est, cui vel refragatur, vel non suffragatur sensus evidentia.*

§. XVII.

SEquuntur Canones Prænotionis seu anticipationis & ipsi quatuor.

I. *Anticipatio est ipsa rei notio; sive definitio, sine qua quidquam quærere, dubitare, opinari, imo & nominare non licet.*

II. *Omnis, quæ in mente est anticipatio, seu prænotio dependet a sensibus, idque vel incursione, vel proportione, vel similitudine, vel compositione.*

III. *Est anticipatio in omni ratiocinatione principium, quasi nempe id, ad quod attendentes inferimus, unum esse idem aut diversum, conjunctum aut disjunctum ab alio.*

IV. *Quod inevidens est ex rei evidentis anticipatione demonstrari debet.*

§. XVIII.

ADdit canones Affectionis quatuor.

I. *Ea voluptas, quæ nullam habet adnexam molestiam amplectenda.*

II. *Ea molestia, quæ nullam habet adnexam voluptatem, fugienda.* III. *Ea*

III. *Ea voluptas, quæ aut majorem voluptatem impedit, aut graviorem molestiam parit fugienda.*

IV. *Ea molestia, quæ aut majorem avertit molestiam, aut uberiorem voluptatem creat, amplectenda.*

§. XIX.

His subjungit canones ad quæstiones de voce duos.

I. *Dum loqueris dilige voces communes & perspicuas, ne aut ignoretur quod velis, aut interpretando tempus frustra quæras.*

II. *Dum audis id enititor, ut vim docibus subjectam teneas, ne te, aut præ obscuritate lateant, aut præ ambiguitate deludant.*

Atque hæc est quasi epitome Epicureæ canonicæ. De qua, qui plura cupit, adeat Gassendum loco superius laudato.

§. XX.

Quamquam vero ex veteribus philosophis plures res dialecticas & logicas tractássent; contigit tamen, postquam Christianismus in orbem illuxit, ut solius ferme Aristotelis per plura sæcula in his rebus ratio haberetur. Nam etsi primi Christiani litterati Eclectici fere omnes videntur fuisse; (a) tamen Aristotelis dialecticam elegisse præ omnibus, qui his studiis operam navabant, dubitari non potest. Hinc solius Aristotelis libri Logici, non omnes licet, ad nos pervenerunt. Jam vero Arabes in studiis Metaphisicis versatissimi sola Aristotelis scripta in deliciis habuerunt. Quumque barbarorum incursione omnia per Europam, Asiamque atque Africam studia litterarum exstincta pene essent, qui illa post decimum Seculum restaurare cœperunt Monachi potissimum, una Aristotelis scripta excoluerunt, quæ ab Arabibus male consuta & interpolata acceperant. Hinc ad xv. usque Christianismi sæculum sola Aristotelis Logica ab iis, qui Scholastici vocati sunt, promota est.

§. XXI.

(a) *Demonstratum id Buddeo in Isagoge ad universam Theologiam. Lege & Clem. Alex. in prim. Strom. & Aug. di Civit.*

§. XXI.

IN Scolasticorum Logica plura jamdudum notarunt viri docti (*a*), quæ ad pauca referam.

I. Quum servum essent Aristotelis pecus, nullaque philosophandi libertate uterentur, artem hanc nullo modo promovere potuerunt.

II. Eorum Ars Logica genuinas regulas recte cogitandi, & regulas criticas nullibi attingit.

III. Persequitur ineptias, & quæstiones vanas de *formalitatibus*, *hecceitatibus*, *quidditatibus*, *intentionibus*, *suppositionibus*, *exponibilibus*, *reduplicativis*, *particularisationibus*, *suppositis*, *mediatis*, *& immediatis*, *complexis & incomplexis*, *restrictionibus & amplificationibus*, *de infert*, *& definit*, *de differt*, *& infinito*, *de ita & sicut*, *de ascensu & descensu*, in quibus & nihil est boni succi, & damni plurimum ad mentem obscurandam, omnemque sapientiæ gustum obtundendum.

IV. Non est Ars generalis & mentem ad studia omnia formans, sed particularis, & in rebus nullius pretii instruens: quamobrem puro Scholastico bona non sapiunt.

V. Est ars potius eristiche, seu contendendi, quam inquirendi veritatem.

§. XXII.

PRimi Laurentius Valla, Rudolphus Agricola, Ludovicus Vives, Petrus Rama XVI. Seculi scriptores, & viri pro eo tempore litterati & critici adversus eam ætatis barbariem declamare cæperunt. In primis autem Logicam illustravit Rama vir doctus & politi ingenii. Sequutus mox est vir adprime doctus, & cui restauratæ per Europam litteræ magna ex parte debentur, Franciscus Baco de Verulamio, qui sub initium seculi XVII. in Brittannia floruit; de cujus nunc Logica paucis dicendum est;

§. XXIII.

(a) *Erasmus in Moriæ Encomio pag.*178 1.*Ludovicus Vives de Caussis corruptarum artium*, *Tribecovius de Doctoribus Scholasticis*, *Heumannus*, *Launojus*, *Gassendus*, *aliique*.

§. XXIII.

EDidit Verulamius anno 1620. *Novum organum*, quo nomine Logicam, Aristotelem imitatus designavit: etenim Aristoteles Logicam appellabat ὀργανὸν καὶ χεῖρα φιλοσοφίας *instrumentum & manum Philosophiæ* (*a*). Organum autem istud ad doctrinam maxime rerum naturalium instruxit, & quidem tribus rationibus a vulgaribus Logicis diversum, Fine, Inquirendi initiis, & Ordine demonstrandi.

§. XXIV.

FInis ei præpositus est, ut artes inveniantur, & augeantur non argumenta. In Inquirendi vero initiis, omnium primum in dubium vocat principia quædam, & præjudicia communiter recepta, quæ *idola* appellat. Idola autem hæc in quatuor classes distribuit. Prima sunt *idolatribus*, idest præjudicia universæ naturæ humanæ in se spectatæ. Altera *idola specus*, seu præjudicia naturæ singularis. Tertia *idola fori* seu præjudicia orta ex commercio cum plebe. Quarta tandem idola theatri, quæ nimirum ex Philosophorum doctrinis, & perversis demonstrationum legibus originem habent.

§. XXV.

AD ordinem vero demonstrandi, quod attinet, non vult adhiberi syllogismum, sed inductionem analyticam & Socraticam, quæ a singularibus gradatim procedat ad generalia. Nam I. Syllogismus propositionibus universalibus facile decipit: hinc veriverbium illud Scholarum, *in universalibus latet dolus*. II. Tirones ideas habent particulares, iique difficillime ad universalia ducuntur: inductione vero facillime a singularibus progrediuntur ad universalia.

§. XXVI.

MUlta sunt in hoc Verulamii opere Egregia; itaque dubitare non possumus, quin illud ad scientiarum Euro-

(*a*) *Vide Vossium de natura & constit. Logicæ, cap.6. § 4.*

Europæarum augumentum plurimum contulerit. Ceterum nequit illud haberi pro Logica universali, seu ita comparata ut doceat & recte cogitationes nostras disponere, & aliorum intelligere, iisque rite uti. Quod præterea in omnibus scriptionibus Veralumii accuses, est orrenda illa phantasia, qua cogitationes suas obscurat; qui morbus familiaris est Anglis viris alioquin ingeniosissimis.

§. XXVII.

INter recentiores philosophiæ restauratores magni nominis extitit Petrus Gassendus Gallicanus Sacerdos. Ejus merita in artem logicam non mediocria sunt. Scripsit primum opus *de origine & varietate Logicæ*, quo historiam disciplinæ hujus a prima ipsius ętate usque adCartesium diligenter persequutus est. Dedit deinde librum de Logicæ fine, quo exponit *criteria veritatis*, atque ex antiquis monimentis illustrat historiam Scepticismi. Præter hos libros ipsi quoque debemus *Institutiones Logicas* divisas in quatuor partes juxta vulgarem methodum; quarum prima differit *de simplici rerum Imaginatione*. II. *De Propositione*: III. *De Syllogismo*. IV. *De Methodo*. Gassendo adjungi potest Thomas Hobbesius Anglus, qui Logicam sub inscriptione *Computationum* scripsit. Continet ea sex capita. I. De Philosophia, ipsius fine, utilitate, subjecto, partibus. II. De vocabulis. III. De propositione. IV. De Syllogismo. V. De erratione, falsitate, & captionibus. VI. De methodo: de quibus breviter, nec sine dignitate differit. Fuit autem uterque Epicureus, sed Gassendus quidem Epicureorum errores in Religione & Morali egregie confutavit; quum Hobbius non raro probasse videatur; Quam ob rem Atheus audit.

§. XXVIII.

DIcamus nunc de Cartesio. Renatus Cartesius natus est Hagae Turonum an. 1596. Is ad Verulamii imitationem, ut observat Gassendus (*a*), novam Philosophiam excitaturus, omne omnino præjudicium exuere in pri-

(a) *De origin. & var. Log. cap.* XI.

primis voluit. Sed non eamdem tamen viam, quam Verulamius, est ingressus. Nam quum Verulamius auxilia a rebus ad perficiendum intellectum petierit, ipse in ipsa cogitatione satis esse præsidii censuit, ut intellectus vi sua possit in omnium rerum, etiam abstrusissimarum, hoc est non modo corporum, sed Dei etiam & animæ notitiam perfectam venire. Itaque non inscite Cartesium inter fanatismi restauratores referre possis, Hinc enim Malebranchii cœpit fanatismus, qui deinde in Spinoza & Beckero in Pantheismum abiit. Scripsit dissertationem *de Methodo recte utendi ratione, & veritatem in Scientiis investigandi*, quæ egregia multa ad Artem Logicocriticam pertinentia continet. Sed tantum abest ut hæc dissertatio pro integra Logica haberi possit, ut potius paucas, easque nimis genericas observationes contineat.

§. XXIX.

QUæ in hac arte debemus Cartesio, sunt:

I. Libertas philosophandi: primus enim quam validissime Aristoteleorum tyrannidem excussit, atque philosophos ut ex ratione, non ex auctoritate philosopharentur, induxit. II. Ars dubitandi: Primus nempe post veteres Academicos universalem dubitationem philosophis præscripsit, cujus ope præjudicia aut Populi, aut Magistrorum pernoscere, & discernere possent. III. Critica & delectus idearum & judiciorum: nimirum quum antea per ideas obscuras & confusas plerique omnes philosopharentur, Cartesius exemplo suo & exhortationibus effecit, ut claras & distinctas amarent & vestigarent, atque qualitates illas occultas, & *vocabula nihili*, seu quibus nullæ sunt subjectæ notiones, cane pejus & angue horrerent. Quæ tamen in Cartesio arguuntur tria sunt potissimum. I. Quod nimium ingenii viribus fuerit, experimenta vero, & aliorum sensum vix aliquando consuluerit. Quo factum est ut in plurimis erraverit & in Physica nihil ferme nisi fabulas docuerit. II. Quod a phantasiæ morbo non fuerit immunis, ut systemate suo mundano demonstrari potest. III. Quod nimium hæserit hypothesibus quibusdam generalibus & phantasticis. Itaque

que recentiores Physici, ut se Catesianis opponerent, *Experimentales* se vocarunt.

§. XXX.

INcredibile est quantum incrementum literæ ferme omnes, potissimum Ars Logicocritica, post Cartesium acceperint. Inter Cartesianos, qui hanc artem summopere excoluerunt, eminent Claubergius, Auctor Artis cogitandi, Malebranchius, aliique. Johannes Claubergius vir erat solidi & acerrimi judicii, Methaphysicus certe minime iners. Is inter cetera scripsit Logicam, quam in duas partes pertitus est, *Geneticam* nempe, & *Analyticam*, Illa comparata est ut recte cogitemus: hæc ut aliorum cogitationes rite intelligamus. Multa sunt egregia & lectu digna in utraque.

§. XXXI.

AUctor Artis cogitandi aliis est Antonius Arnaldus, aliis Nicolius, aliis Trogny, aliis plures e *portu regio* Scriptores (*a*). Hujus opus Gallice primum editum est sub inscriptione *La Logique ou l'art de penser*. Versa inde est pluribus in linguis, Versionum tamen Latinarum ea Vvalchio probatur; quæ edita est Halæ Magdeburgicæ an. 1704., & 1718. interprete Joanne Conrado Braunio. Habemus & nos Italam versionem, quam illis legendam auctor sum, qui linguam Gallicam ignorant. Est hæc ars in quatuor partes distributa juxta quatuor, ut putat, operationes mentis. In prima enim examinat perceptiones & ideas. In altera judicia & propositiones. In tertia ratiocinium & syllogismos. In quarta Methodum. Petrus Sylvanus Regis censuit nihil fieri posse hac arte accuratius. Quocirca eam compendifactam dedit (*b*). Revera negare non possumus omnium Logicarum, quæ hucusque editæ sunt, eam longe esse probatissimam & utilissimam. Ego tamen sic censeo, quartam ejus Artis partem optima esse fruge plenam, omnique pretio superiorem.

§. XXXII.

(a) *Vvalchius hist. Logicæ in Parergis, pag.* 652.
(b) *In Cours de Philosophie.*

§. XXXII.

HÆc autem mihi videntur in Arte ista argui posse. I. Nimis promovet Cartesianum systema de ideis innatis. II. Plurima libro primo circa ideas disputat, ut & libro secundo & tertio circa propositiones & Syllogismos, quæ sunt nullius pretii. III. Artem Criticam non attingit, etsi multa huc illuc sparsim ad Criticem pertinentia doceat. IV. Nimis est in arte Syllogistica explicanda, ejusque regulas plurimas tradit manifesto falsas. V. Cui usui esse debeant quæcumque de propositionibus parte II. disputat, nullibi monet. Quæ vero in illa potissimum laudantur sunt. I. Cuncta clare & distincte tradit. II. Verum Logicæ finem ubique intuetur, qui est mentem in studio sapientiæ instituendo formare. III. Scholasticorum ineptias & barbariem resecat, quæstionesque inutiles, & vocabula inania vitat. IV. Exempla addit magna ex parte ethica, quæ nimirum assuefaciunt tirones ad veram & solidam scientiam amandam.

§. XXXIII.

LOnge felicius artem inquirendi veritatem persequutus est Nicolaus Malebranchius Sacerdos Oratorii Gallicani Domini Jesu. Is anno 1673. edidit Opus *De la recherche de la verité*. Ejus autem operis editio Parisina an. 1713. omnibus præferenda, 4. voluminibus in 12. Latine vertit celeberrimus L' Enfant. In sex libros distributum est. In primis quinque errorum caussas diligentissime perscrutatur: in VI. Methodum veritatis inquirendæ tradit. Primo libro differit de Erroribus sensuum. II. De imaginatione, qui liber omnium est optimus. III. De intellectu puro. IV. De propensionibus, seu inclinationibus animi. V. De affectibus. VI. De methodo quum Analytica, tum etiam Synthetica. Quum Malebranchius in his libris plurima methaphysica passim attingat, de ideis, de Deo, de Mentibus; factum est ut opus pro Metaphysica imperitissime haberetur, quum non sit nisi mera & vera Logica.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

NOn dubito, quin hoc opus plurimum valeat ad mentem formandam. Sed nec pro integra arte Logicocritica haberi poteſt, nec eſt ab omni errore immune. I. quamquam præcepta quædam critica paſſim adſpergat, at artem ipſam criticam proprie dictam non tradit. II. Quæ circa ſenſus docet æquo nimius provehit: nititur enim oſtendere nullam omnino certitudinem ope ſenſuum habere nos poſſe, quod eſt *effrænem ſcepticiſmum* inducere. III. Contendit omnia nos in Deo, qui animæ noſtræ *ὀυσιωσ* (*eſſentialiter*) unitus ſit, videre. Itaque in phanatiſmum proruit, & Enthuſiaſmum, ut Johannes Georgius Pritius in diſſertatione de Malebranchii Enthuſiaſmo demonſtrat. IV. Quum omnes cogitationes & motiones noſtras a Deo repetit, libertatem noſtram radicitus auferre videtur. V. Si Arnaldo credimus, Malebranchius ſpatium hoc reale pro ipſa Dei immenſitate habuit,

§. XXXV.

FUerunt quoque qui præcepta Logica ex principiis mathematicis deduxerunt, eaque exemplis ad Matheſim ſpectantibus illuſtrarunt, in eam adducti opinionem, quod Matheſis optima atque promtiſſima remedia ad excolendum intellectum humanum, eumque ad veritatis cognitionem aptum reddendum, afferat. Huc pertinent Erchardus Vveingelius, cujus opera prodiit *Analyſis Ariſtotelica ex Euclide reſtituta genuinum ſciendi modum & nativam reſtauratæ philoſophiæ faciem per omnes diſciplinas & facultates ichnographice depingens*, Jenæ 1658. IV. Ehrenfried Vvalther a Tſchirnaus, cujus ſtudio prodiit *medicina mentis cum medicina corporis* Amſteledami 1687. & Lipſiæ 1695., quæ poſterior editio priore auctior eſt. Illuſtri auctori propoſitum fuit, tradere ſcientiam generalem, qua quis probe inſtructus omne incognitum, quod aſſequi poteſt ſuis viribus intellectus humanus, certa conſtante methodo inveniat. Prima parte demonſtra&

elaborat, quod in ſtudio cognoſcendæ veritatis poſita ſit omnium maxima hominum felicitas. Parte vero ſecunda tradit ipſam methodum veritatem inveſtigandi, his innixam fundamentis, quorum certitudinem quiſque in ſeipſo per experientiam poſſit explorare. Nempe. I. Se variarum rerum conſcium eſſe, quod principium primum & generale noſtræ cognitionis ſit, II. Se bene a quibusdam, a quibusdam male affici, quod principium ſit cognitionis boni & mali. III. Quædam a ſe poſſe concipi, ſive cogitatione apprehendi, quædam autem a ſe nullo modo poſſe concipi, quod principium ſit primum verum a falſo diſcernendi. IV. Se varia ſenſuum externorum, itemque imaginum internarum & paſſionum ope advertere, quod principium ſit primum unde omnia, quæ experientiæ debeamus, emanent. Andreas Rudigerus (*a*) duo in hoc Auctore reprehendit, I. Quod ratiocinationem mathematicam perturbaverit cum philoſophica. II. Quod per integrum librum erronea opinione exiſtimaverit, veritatem philoſophicam eodem modo cognoſci, atque mathematicam, quum juxta Rudigerum longe alio modo cognoſcatur (*b*). Ad hanc eamdem claſſem ſpectant quoque Leibnitius, & Vvolfius, de quibus paullo poſt.

§. XXXVI.

TEmpus eſt, ut de Johanne Lockio dicamus, celeberrimo Angliæ philoſopho, qui an. 1704 extinctus eſt, viro in primis uſu mentis, & meditatione accuratiſſimo. Scripſit libros logici argumenti IV. qui Gallice, & Latine ex Anglo verſi ſunt ſub inſcriptione, *de Intellectu humano*. In his libris omnium operationum mentis humanæ originem, ſeriem, fines, tum & mentis huma-

(a) *De ſenſu veri & falſi lib. 2 cap. 4. §. 6.*

(b) *Veritates Mathematicæ ex ipſarum rerum Mathematicarum notionibus liquido fluunt: notiones vero Mathematicæ ſunt arbitrariæ, eſſentiæque ſunt* nominales *ſimul & reales. At veritates aliarum rerum non licet ita deducere: quippe aliarum rerum notiones nequeunt haberi pro eſſentiis* realibus.

humanæ capacitatem accutiſſime veſtigat. Quanquam in eo opere plurima ex media Metaphyſica diſputentur, tamen haud dubium eſt, quin Artem Logicocriticam primum ſpectet, & mirum in modum promoveat. Libro primo oſtendit, quod nullæ inſint nobis ideæ innatæ, ne principiorum quidem ipſorum ſapientiæ humanæ, ſed omnia cognoſcamus ſenſuum & conjecturæ ope. Libro ſecundo idem argumentum deducit ad ſingula quæque idearum noſtrarum objecta. Libro tertio de ſermone, vocabulorumque proprietate & affectionibus differit, is liber pene totus ad criticem pertinet, & ex eo Clericus *Artem Criticam ornavit*. In quarto tandem de *cognitione humana*, *diverſis ejus gradibus*; *de veritate*, *probabilitate*, *ratione*, *fide*, & aliis ejuſmodi agit.

§. XXXVII.

Quæ in hoc opere commendari poſſunt hæc eſſe cenſeo. I. Acumen, quo res quælibet perveſtigantur. II. Ordo & claritas. III. Maxima naturæ humanæ meditatio & cognitio. IV. Libertas philoſophandi. V. & modeſtia, qua ingenue fines mentis humanæ ſtatuuntur. Sunt tamen quæ reprehenſione non vacant. I. Plurima plerunque opera in rebus exigui momenti. II. Earumdem rerum repetitio, & verborum ubique nimium. III. Non juſta animi humani notio. IV. Nec ſanum homines inter & bruta ſtatutum diſcrimen. V. Et libertatis humanæ, ut putant (a), falſa ſententia. Quorum tamen quædam ſunt, quæ bonam in partem interpretari poſſis, ſi illud excipias, Lockium Socinianiſmo æquo nimius faviſſe, nec recte de animæ natura ſentiiſſe.

§. XXXVIII.

Lockio jungendus eſt Johannes Clericus, qui primus Critices præcepta in juſtam artem contulit. Is præter artem hanc Criticam, ſcripſit & Logicam, in quatuor partes diſtributam. In prima agit de Ideis: in ſecunda de Enunciatione: in 3. de Methodo: in 4. de Argumentatione. Quæ ſunt meliora in Arte cogitandi, in Malebranchio, in

(a) *Legatur Vvalchius opere cit. pag. 672.*

in Lockio, in librum suum transcripsit Clericus. Commendatur in eo in primis rerum delectus, ordo & claritas, Quæ in Logica & Critica argui solent sunt. I. Nollent quidam artem Criticam ab arte Logica divulsam, sed una cum ea conjunctam. II. Nimis est in tractatione de ideis & propositionibus: in pauciora enim ea conferre potuisset. III. Artes generales exemplis invidiosis adversus Catholico-Romanam Ecclesiam fœdat. IV. In arte Critica id videtur fecisse, ut de genuivitate & integritate librorum Canonicorum dubitaremus.

§. XXXIX.

Ex recentioribus, qui hanc artem promoverunt, commemorandi etiam sunt Christianus Thomasius, Petrus Poiret, Andreas Rudigerus, Petrus Crusatius, & omnium maximus Christianus Vvolfius. Thomasius edidit *Introductionem ad Philosophiam Aulicam, seu lineas primas libri de prudentia cogitandi*, ubi ostenditur media inter præjudicia Cartesianorum, & ineptias Peripateticorum veritatem inveniendi via. *Lipsiæ* 1688., *& Halæ* 1702. *Complectitur capita* XVI. I. *De Philosophorum sectis*. II. *De Philosophia in genere*. III. *De homine, & humanæ mentis essentia*. IV. *De prudentia cogitandi, & ratiocinandi*. V. *De veritate & ejus criteriis*. VI. *De præjudiciis veritatis inquisitionem impedientibus, eorumque extirpatione, & primis cognoscendi principiis*. VII. *De objecto ratiocinationis*. VIII. *De modis ratiocinandi*. IX. *De mediis ratiocinandi*. X. *De methodo & ordine ratiocinandi*. XI. *De prudentia meditandi*. XII. *De prudentia cogitata proponendi*. XIII. *De prudentia aliorum mentem intelligendi*. XIV. *De prudentia judicandi*. XV. *De prudentia contradicendi*. XVI. *De pedantismo*.

§. XL.

Petrus Poiret scripsit *Veram methodum inveniendi verum* divisam in tres partes. Prima exhibet sex methodi ad veritatem leges.

I. *Ad veritatem detegendam ordinem servandum esse*.

II. *Mentem sinceram esse debere*.

III. *Quemlibet debere incipere a se, & in seipso.*

IV. *Agnoscendam esse unicuique corruptionem suam.*

V. *Sanationem mediis aptis ante omnia quærendam.*

VI. *Mentem ad incolumitatem recipiendam agnita & deplorata ægritudine, impotentiaque sua, abstinere debere acquiescere ab actibus intellectus sui, quem offerat Deo passivum, solo desiderio sanitatis a Deo interpretandæ agentem, nec non firmiter decernentem, se in posterum, si restituta fuerit; non recturam amplius facultates suas ad placitum proprium, sed ad voluntatem entis summi juxta ordinem, & proportionem, quæ debeat esse æterna inter caduca, spiritualia, & corporea, interna & superficiaria, necessaria, & accessoria, realia & umbratilia, divina Dei placita & pessima proprii amoris se pro scopo statuentis cupita.*

Pars secunda exhibet varias quæstiones & difficultates de intellectus *impotentia*, *quiete*, *passivitate*, *de Dei in illo actione & lumine*, *deque ejus statu diviniore*, & *medio ad illum proximo*. Pars tertia ostendit ob neglectum superiorum regularum Cartesium cum suis in multa incidisse errata. Multa egregia hic philosophus continet. Sed omnia *fanatismo* fœdat, & *quietismo*.

§. XLI.

ANdræ Rudigeri merita in Logicæ artem omnino sunt amplissima, sive aliorum errores, quos solide confutavit, sive accessiones, quibus disciplinam hanc auxit, spectemus. Is præter alia anno 1707. edidit *Philosophiam Syntheticam*, qua multorum Logicorum vitia observat & emendat. Anno vero 1709. emisit librum elegantissimum nec satis laudandum *De sensu veri & falsi*. Hic primus ceteros Logicos exagitavit, quod discrimen inter ratiocinationem *mathematicam*, & *philosophicam*, quod longum est, ut putat, non observaverint. Crusatius & ipse lingua Gallica edidit, *Systeme de reflexions Amst.* 1712. quod latine deinde fecit. In eo universam artem Logicocriticam, paulo licet verbosius, at accurate tamen docet.

§. XLII.

TAndem Christianus Wolfius vir in Mathematicis & Metaphysicis medicationibus attritus, quum instituisset universam Philosophiam methodo scientifica pertractare, omnium primum Logicam dedit tomo uno 4. ex editione Veronensi. Duabus partibus illam absolvit, theoretica nempe & practica. Quæ in eo sunt egregia hæc sunt. I. Exactæ & accuratæ vocabulorum definitiones: amat enim philosophari per ideas claras & distinctas. II. Methodus Mathematica, qua cogitationes suas connectit. III. Veritates plurimæ acute detectæ. IV. Vel minutissimarum rerum demonstrationes. Sed in Logica reprehenderis I. Quod ab ea *artem inveniendi* abstraxerit, & separatim promiserit, ut & *Logicam probabilium*. II. Quod artem criticam non integram dederit. III. Quod prolixus fuerit; & minutissima, etiam vilia, consectatus sit. IV. Quod exemplis sublimium disciplinarum regulas Logicas obscuraverit potius tironibus, quam illustraverit. V. Quod nimium usum fecerit vocabulorum barbarorum, & infinita alia ipse barbarum in modum invexerit. VI. Quod nimium sit abstracta & Metaphysica. VII. Quod in judiciis & demonstrationibus non tam cogitationum, quam vocabulorum rationem habuerit.

§. XLIII.

HIs omnibus addimus *Elementa hæc nostra artis Logicocriticæ*, quæ partim ex optimorum observationibus, partim ex studio & meditatione nostra contexuimus. In his conamur adolescentes instituere & in recte ratiocinando, & in aliorum cogitationibus rite intelligendis. Quidquid igitur ad artem Logicam & Criticam pertinet, modo, qui sit tironibus accommodatus, in his Elementis complectimur. Ea v. in libros partimur.

I. De natura mentis humanæ; de errorum caussis, iisque remediis prestandis.

II. De ideis earumque objectis & signis.

III. De vero & falso, deque Criteriis veri generatim.

IV. De usu auctoritatis, ubi de Arte Critica.
V. De usu ratiocinii, & de methodo.

§. XLIV.

SEd antequam ad rem aggrediamur unicum ut adolescentes moneam; operæ pretium est. Nempe theoreticam artis Logicocriticæ non efficere hominem recte atque accurate cogitantem, quemadmodum ars Rhetorum Oratorem non efficit: Efficitur enim Logicus & Criticus studio & meditatione, ut exercitatione dicendi Orator. Itaque plures scio, qui lectis infinitis pene hujus artis opusculis; nec ratiocinari tamen recte norunt, nec aliorum scriptis rite uti. Alios é contrario expertus sum, qui sine ulla arte; meditatione & studio Logici & Critici munus magna cum dignitate præstant. Ars ergo hoc efficit, ut facilius recte ratiocinandi habitum comparemus: at sine exercitatione misera est & sterilis. Qui ergo nunquam exercitio suo veritatem ullam detegere conatur, is nulla arte Logicus evadere potest: & docet plus unius veritatis inventio propria meditatione facta, quam regulæ omnes etiam doctissimorum Logicorum. Quocirca nunquam Logicos dixerim, qui etsi hanc artem docent, nihil tamen ipsi humanæ eruditioni adjumenti afferre conantur, sed inerti disciplina contenti sunt. Qua in re illud veteris Comici appositum est,

Ego odi homines philosopha sententia, & ignava opera.

Eam ob rem auditores meos partim Geometria, partim criticis quæstionibus exerceo.

§. XLV.

INterim, fateor ingenue, dum de Logico efficiendo curas suscipio, animum quasi despondeo. Duo enim video obstare adolescentium ingeniis extrema, per quæ medii quum tuti eant, ire tamen nesciunt. Nam nec servilia ingenia amo, & temeritatem atque confidentiam minime ferre possum. At experientia me docuit, vix adolescentes nostros ab his extremis coërceri: aut enim servire parati sunt, aut petulanter lascivire. Quidam sunt, de quibus apposite Lucretius (*a*).

(a) *Lucret. in* 1. *de nat. rer.*

Omnia enim Stolidi magis admirantur amantque
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt:
Veraque constituunt, quæ belle tangere possunt
Aureis, & lepido quæ sunt fucata colore.

Hi ingenium, atque judicium suum nunquam adhibere consueverunt: Mentem in servitutem dederunt, tanto hercle corporis servitute fœdiorem, quanto animus corpore ipso est nobilior. Præterea ita animus barbaris vocabulis occalluit, ut quemadmodum Gentiles illi, de quibus Clemens Alexandrinus (*a*), *preces voce barbara* (quæ non intelligeretur, sed sonaret asperius & grandius) *factas* POTENTIORES putabant; ita isti quidquid ex media barbarie non depromseris, non audiunt. Hos si conaris vehementiori aliquo remedio curare (nam levia ita afficiunt, ut fomenta podagram), ad alterum deflectunt extremum, evaduntque insolentes, confidentes, omnium contemtores, quod est vitium priore pernicialius, ut error ipsa est pernicialior ignorantia. Alii ex adverso, dum liberi videri volunt & Critici, sinceræ doctrinæ patientes aures commodare non patiuntur. Ex suo vivere malunt, quam ex alieno. At quum eorum ratio tenero adhuc vagetur pede, ineptiunt pueriles ineptias. Hi, quum ad modum conaris ducere, admittunt clitellas, & serviunt miseram servitutem. Præceptis Logicis, quæ in his Elementis doceo utrumque mihi videor insectatus vitium. Et eos quidem, qui ex alieno magis quam ex suo sapiunt jecore, excitasse, admotis opportune calcaribus: eos vero, qui velut hœdi petulci per omnia vagantur fastidiosi, quique nimis confidentes *soli suæ prudentiæ innituntur*, quod cavendum præcipit Salomo, frænis coërcuisse. Sed libeat sub initium solemnen hanc habere edictionem, *Horum neutros unquam ad veram sapientiam pervenire: illi servient æternum: isti æternum tumultuabunt.*

ARTIS

(a) *Lib. 1. Strom.*

ARTIS LOGICOCRITICÆ
LIBER I.

De natura & operationibus mentis, de morbis intellectus, & de caussis errorum, atque de morborum horum & errorum remediis & curatione.

CAPUT I.

De natura & operationibus mentis.

§. I.


Uanquam quæ ad naturam, proprietates, & operationes mentis spectant in Metaphysica & Ethica expendere philosophi solent, ut & nos expendimus accuratius, & prolixius: sunt tamen quædam, quæ Logici sunt propria, & quæ hoc in loco, saltem per summa capita, explicare, operæ pretium est. Per summa, inquam, capita: nam quum nullæ sint quæstiones explicatu difficiliores, quam quæ naturam humanam spectant, eæ hujus ætatis, in qua Logica disci solet, propriæ non sunt.

§. II.

QUidam sunt philosophi, qui Animam, Animum, & Mentem distinguunt. Latini ipsi, quanquam plerumque hæc confunderent, tamen quum exactius loqui volebant, Animam vocabant vim qua vivimus, seu potius sanguinis motum & respirationem (*a*): Animum vim qua dolores & voluptates sentimus: Mentem vero vim & facultatem intelligendi. Nec hodie desunt, qui pu-

(a) Hinc illud Plauti, *fœtet anima uxoris tuæ*? *Le pute il fiato?*



putant, vim corporis vitalem, ut & vim dolores & voluptates sentiendi, esse corporis humani affectiones, aut saltem substantiæ; cujus natura sit media inter mentem & corpus (*a*); nec ad mentem, seu substantiam cogitantem pertinere. At hæc fuit veterum ferme omnium sententia; Platonis, Platonicorumque; Aristotelis, & Peripateticorum præcipuorum; *vim* ipsam *sentiendi*, seu Latinorum *animum*, tam esse Mentis facultatem, quam *vim cogitandi*: sed vim sentiendi per totum corpus diffundi, quum vis cogitandi in cerebro sese exserat. Addunt tamen, *vim sentiendi* toto fusam corpore, magna ex parte cogitationi ipsi parere. Non vacat hæc fusius explicare: Vide ut propugnat hanc sententiam Cudvvortus (*b*). Quidquid ea de re sit, quum non sit hic ejus disputandi locus, id certum est, nos cogitare, seu plurimas res percipere, & de iis judicare & ratiocinari: est igitur in nobis principium aliquod cogitationum nostrarum activum: id vero est, quod mentem, animam, animum appellamus (*c*).

§. III.

Esse vero mentem hanc substantiam a corpore distinctam & diversam, primum revelatione discimus: quæ quum doceat animas corporibus superstites esse, simul docet earum essentiam & naturam a natura & essentia corporis longe differre. Deinde ex ratione: quis enim sibi persuadeat tantam vim cogitandi, & reminiscendi, & hanc corporis movendi facultatem, corporis esse affectiones? Quæ quum sint omnium primum diligenter sunt expendenda quæ animi, quæ corporis sint propria, ne ex horum commixtione turpiter post hac erremus.

§. IV.

(*a*) *Post Gassendum, plurimosque Scholasticos, qui animas sensitivam & vegetativam a Rationali distinguebant, ipse Clericus Biblioteque Choisie tom. 2. pag.* 213.

(b) *In dissert.* de natura genitrice §. 17. *tom.* 2. *Syst. Intell.*

(c) *Tria illa vocabula passim ipsi miscent Latini, in primis Cicero in Tuscul.*

§. IV.

IN corpore hæc omnia insunt, extensio, soliditas divisibilitas, mobilitas, figurabilitas, vires gravitatis, inertiæ, atque elasticitatis: motiones variæ, motionibusque variæ inductæ configurationes internarum partium, aut externæ figuræ. Sunt etiam in corpore qualitates sensiferæ, seu vires sensationes in nobis excitandi, colorum, saporum, sonorum, odorum, aliasque. Sunt fortassis & alia multa, quæ ignoramus. Quoniam vero animus est substantia a corpore distincta & diversa (ex §. 3.) ea certe proprietates habebit ab his proprietatibus corporeis diversas.

§. V.

ET primum quidem animus extensionem divisibilem, aut figurabilem nullam habet: quum enim sit incorporeus, simplex est, adeoque nec dividi, nec figurari potest. Nihil tamen prohibet habere extensionem quamdam virium suarum, qua in extenso aliquo operetur aut patiatur (*a*). Itaque non sane inepte quis animum conceperit tanquam circulum quemdam, cujus centrum sit ipsa animi substantia, circumferentia vero ejus vis & operatio qua per corpus diffunditur (*b*) Quam opinionem qui in Nevvtoniana philosophia instituti sunt, inscitam putare non possunt: quippe qui docent etiam corpora habere hanc attractionis atmosphæram incorpoream.

§. VI.

SOliditatem quoque, gravitatem, inertiam habere nequeunt, quæ corporis propria sunt. Sed & ceteris viribus corporeis, ut & qualitatibus sensiferis destituuntur. Hinc est ut nulli sensui Mentes subjectæ esse possint. Præterea destituuntur motionibus internis, seu motiones nul-

B 2

(a) *Vide quæ dicta sunt ad* §. 2. *Ex Philosophis recentioribus idem sentire Rudigerum ex Buddeo (compend. hist. Phil. pag.* 101.) *didicimus*.

(b) *Passim eodem circuli exemplo utitur Augustinus*.

nullæ corporeæ in iis fieri possunt, quæ sint motiones partium ipsius animi. Quamobrem perceptiones & cogitationes esse nequeunt motiones corporeæ, ut Epicurei delirant. Sed id, quoniam quasi fundamentum est humanæ sapientiæ, liceat paullo exactius demonstrare. Quum percipio omnes angulos Chiliogoni æquales rectis 1996. præter perceptiones Chiliogoni, obversari debent menti perceptiones æqualitatis inter omnes Chiliogoni angulos & 1996. rectos. Si id motionibus fit, jam tot erunt motiones, quot anguli Chiliogoni cum rectis comparantur, seu potius, quot sunt anguli Chiliogoni, & recti, cum quibus comparantur, idest motiones saltem 4980. circiter, quæ & eodem tempore, aut saltem brevissimo, & in eadem cerebri parte, qua nempe ideæ illæ connectuntur & comparantur, fieri deberent, quod est ἀδύνατον. Fateamur ergo oportet, perceptionem esse actionem, quæ nihil habet similis motionibus corporeis (*a*).

§. VII.

QUæ ad animum igitur referimus sunt. I. Perceptiones & ideæ. II. Desiderium. III. Voluntas, IV. Libertas. V. Potentia corpus movendi. VI. Voluptas & dolor. VII. Effectusque qui ex opinione boni vel mali nascuntur. Percipimus aliquid, quum ejus idea menti nostræ obversatur: Idea autem est rei quasi forma quædam & ima-

(a) *Leibnitius in* principiis Philosophiæ §. 17. *Sic hac in re mentem explicat suam. Negari nequit, perceptionem, & quod inde pendet, per rationes mechanicas explicari non posse, hoc est per figuras & motum. Quod si fingamus dari machinam, quæ per structura cogitet, sentiat, percipiat; non obstat quo minus, iisdem proportionibus retentis, sub majore mole construi concipiatur, ita ut in eam aditus nobis concedatur tanquam in molendinum. Hoc supposito, intus nil deprehendemus nisi partes se mutuo impellentes, nec unquam aliud quicquam, per quod perceptio explicari queat. Hoc itaque in substantia simplici, non in composita, seu machina quærendum. In actis eruditorum Lipsiensibus tom. VII. supplementorum Sect. XI.*

& imago. Ita plantam percipio, quum planta ipsa media sui idea seu imagine menti meæ fit præsens. Idearum naturam accuratius loco suo expendemus.

§. VIII.

PErceptiones non unius sunt generis. Quædam dicuntur simplices: est autem perceptio simplex unius tantum ideæ intuitus, veluti solus trianguli intuitus. Quædam aliæ perceptiones dicuntur *judicia*, *ratiocinationes*, *methodi*, *seu systemata*. Judicium est perceptio duarum vel plurium idearum, & relationis quæ est inter eas, veluti quum percipimus conferimusque inter sese ideam trianguli & quadrati. Quolibet judicio affirmamus aliquid aut negamus. Affirmatio autem aut negatio, quæ fit mente, non differt ab ipsa clara perceptione convenientiæ, aut disconvenientiæ idearum. Claram hanc perceptionem semper mentis convictio comitatur; Si enim non comitatur, affirmatio non est, sed vel dubium, vel opinio.

§. IX.

RAtiocinatio est operatio mentis, qua plures ideas, quarum una ab alia pendet, perceptione conteximus, ut quod latebat detegamus, seu est perceptio relationis plurium judiciorum instituta ad id percipiendum, quod primo intuitu percipere non possumus. E. g. scire volumus an Deus velit summos Imperantes; sic ratiocinabimur.

Quicunque aliquid efficit, vult ut opus suum conservetur, quousque opifici placuerit:

Sunt autem homines Dei opus ceteris telluris operibus nobilius:

Quin igitur ut conserventur velit, dubitare non possumus.

At conservari homines sine societate non possunt:

Societas igitur ut sarcta tecta servetur vult Deus.

Porro societas sine legibus stare nequit:

Nec leges sine summo aliquo Imperante; Vult ergo

Deus

Deus ut leges sint in societate, & summus aliquis Imperans, qui legum sit Custos.

Quod si plures ratiocinationes simul intexemus, iisque disciplinam aliquam conficiamus, qualis est Geometria, Metaphysica, Physica, Ethica, tum ea operatio vocatur Methodus seu ordo, aut systema aliquod scientificum. Sunt autem ut ratiocinationes, ita methodi aliæ aliis breviores, vel longiores.

§. X.

Ad perceptiones quoque pertinent *reflexiones*, seu *apperceptiones*, ut vocat Leibnitius, & *reminiscentia*. *Apperceptio* seu *reflexio* est ea mentis actio, qua animadvertit se percipere, perceptionisque hujus sibi conscia est. Reminiscentia vero est perceptio ideæ alias perceptæ, cum reflexione & sensu eam alias notam nobis fuisse. Ea est distincta a memoria, quæ est habitus mentis & cerebri, quo ea facilius percipimus, quæ alias sunt a nobis percepta. Hinc memoria, ut ceteri habitus, excolendo fit.

§. XI.

Ad intellectum quoque, seu vim percipiendi & cogitandi, pertinent *phantasia*, *ingenium*, & *judicium*. Phantasia, seu vis imaginatrix, dicitur vis mentis, qua sibi corpora absentia repræsentat in suis imaginibus, & qua valet imagines istas corporeas pro lubitu augere, minuere, varie associare, aut etiam res incorporeas corporum instar imaginari. Itaque differt a *pura* intellectione, quæ nullis corporeis phantasmatibus utitur. E. g. quamlibet lineam esse in infinitum divisibilem clare *intelligo* quum id demonstrationes evidentes conficiant: at non *imaginor*. Atque hoc attente est recolendum: nam plures sunt, qui quæ *imaginari* nequeunt, ea intelligi non posse clamant. Differt vero a vi sentiendi, qua præsentia tantum corpora, & quæ organa sensoria movent, percipimus. Ingenium dicitur acumen & perspicacitas mentis in excogitando, & intelligendo. Judicium est scientia bona deligendi, iisque recte utendi, qui ab Italis vocatur *buon*

buon gusto, a Gallis *bon sens*. Judicium acquiritur aut quum viros summo judicio præditos audimus; aut quum libros cum judicio scriptos legimus: quemadmodum malum judicium comparatur & ineptos magistros audiendo & ineptos libros legendo. Judicio autem bono ab infantia assuescendum est; scilicet, *quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu*, inquit Horatius. Ingenium vero plerunque naturale est; sed potissimum exercitatione cogitandi & ratiocinandi acquiritur: hinc Scholastici continuis luctis ingeniosissimi. Ingenium sine judicio sophisticem parit & falsam scientiam: judicium vero sine ingenio iners est (*a*).

§. XII.

Desiderium est animi quædam inclinatio erga bonum seu apparens, seu verum: Pendet igitur a perceptione: nam *ignoti nulla cupido*, ut vetus est adagium. Voluntas est a desiderio distinta: quædam enim desideramus, quæ tamen nolumus. Est ergo determinatio mentis ultima, qua aliquid persequitur, aut fugit, quæque plerunque a desiderio nascitur. Libertas vero est ea mentis facultas, qua actiones quasdam seu internas, seu externas, prout lubitum fuerit, agere, aut non agere, potest. Voluntates & libertas duæ sunt & distinctæ mentis facultates, sed ut plurimum inter se conjunctæ & copulatæ. Qui igitur quærit an voluntas sit libera, nisi hoc intelligat, an mens dum aliquid vult habeat libertatem, is id quærit, an una facultas mentis sit altera, quod est ineptire. Nam cur is etiam non quærit an voluntas sit intelligens? an virtus sit quadrata (*b*)? Nempe quam una eademque mens nostra sit intelligens, volens, libera: intellectus tamen, voluntas, & libertas sunt tres distinctæ ejus facultates, &, si quibusdam credimus, tres distincti habitus.

§. XIII.

(a) *Lepidum hoc de Caramuele dictum*, Ingenium habuit ut octo, Eruditionem ut quatuor, Judicium ut unum.

(b) *Lockius lib. 2. cap.* XXI.

§. XIII.

Jam vero habet & mens nostra potentiam corpus movendi, quod ex intrinseca experientia discimus; itaut putemus non esse audiendos Cartesianos, & Leibnitianos, qui id negant. Ex hac potentia egregium argumentum pro animi incorporalitate desumebat Plato; quod nempe animus, qui corpus movet, eoque utitur, debeat esse distinctus ab ipso corpore, quod movetur, & quo animus utitur. Qua autem ratione vis hæc animi in corpus exseratur, ignoramus. Nec mirum est: nam ignoramus etiam qua ratione unum corpus alteri motum suum communicat. Interim consule quæ dicta sunt ad §. 2.

§. XIV.

Ideæ voluptatis & doloris simplices sunt & claræ: definiri ergo non possunt. Pertinent voluptates & dolores ad animam. Sed ii dolores eæque voluptates, quæ occasione motuum corporis in nobis generantur, corporis esse dicuntur; dolores vero & voluptates, quæ occasione perceptionum nascuntur, animi. Ut autem intelligatur qua ratione in nobis dolores & voluptates gignuntur, oportet statuere animam nostram vi sua vivifica per totum corpus diffundi, & harmoniam cum illo facere (ex §. 2.) Quæ igitur perceptiones, aut motus harmoniam hanc turbant, dolores, qui restituunt aut conservant, voluptates sunt. Nisi hoc dicatur, prorsus ignorabitur, quid in nobis sint voluptas, & dolor. Nam qui mentem nihil esse aliud putant nisi *cogitationem*; quum cogitatio non sit nisi cogitatio; ij negare debent ullum mentem dolorem, ullam voluptatem sentire.

§. XV.

Affectus sunt variæ commotiones sanguinis, seu potius partis animi sensitivæ, cum dolore aut voluptate conjunctæ, qualis amor, ira, timor. Nascuntur ex perceptione, seu, ut Stoici loquuntur (*a*), *ex opi-*

(a) *Adisis Ciceronem lib. 4 Tuscul.*

opinione boni, vel mali. Qui ex opinione boni proveniunt, licet inquietitudinem quamdam secum afferant, quæ omnibus affectibus est communis (a), tamen cum voluptate quadam sunt conjuncti. Ex. g. amor inquietudinem quamdam adnexam habet, quæ tamen suavis est, & dulcis. Qui vero proveniunt ex opinione mali omnes dolorem afferunt, & inquietudinem sine ulla suavitate, nisi ubi sunt cum prioribus commixti. In affectibus igitur quædam sunt animi, perceptiones nempe, inquietitudo illa, & voluptas, aut dolor: quædam corporis, variæ nimirum commotiones illæ.

§. XVI.

SUpereſt ut pauca dicamus de sede animi. Animi sedem in corde simpliciores quædam nationes statuebant: hinc illa *excordes, vecordes*. Alii animam esse totam in toto corpore, & totam in qualibet parte totius, opinati sunt. Cartesiani animi substantiam in Cerebro ponunt, eamque per motus machinæ in toto corpore dominari volunt. Probabilior est Platonis sententia, substantiam animi in cerebro locatam esse, sed vim ejus sensitivam & vivificam per totum corpus effundere, vim vero rationalem in solo cerebro. Legatur §. 5. Res alioquin est valde perplexa & incerta: idque ex eo, quod animi natura latet. Sed fatendum, difficiliorem evasisse Philosophorum disputationibus, qui eas plerumque perquirunt rerum qualitates, quæ nullibi extant, & disputando tenebras offundunt, ubi vix sunt aliquæ.

C A P. II.

De animi morbis, & caussis errorum generatim.

§. I.

PRæcipui animi nostri morbi sunt. I. Ignorantia, in qua nascimur. II. Intellectus brevitas. III. Imbecilitas. IV. Corruptio voluntatis, qua fit ut ab investigatione veritatis distrahamur. Et primum omnes homi-

C

(a) *Malebranchius lib.* v. *de inq. verit.*

mines sine usu rationis nascuntur; qua in re bestijs esse similes gravissime pronunciat Salomo (a). Omnium ergo ignari nascimur, nescimusque bonum a malo, dextrum a sinistro discernere. Paulatim usu sensuum & meditationis informem quamdam Scientiam nobis comparamus. Infantes, nisi usu edocti fuerint, manum sine ullo timore flammæ admovent, lapides, coenum, ligni frusta in os ingerunt. Non oportet igitur eos audire, qui fabulantur (b) animas nostras ante corpora nostra conditas esse, & antequam corpori uniantur, esse sicut Angelos sapientes: aut saltem quum a Deo creantur accipere partem mundi intelligibilis Dei. Nam vult Deus ut usu, studio, labore discamus. Hinc videmus eos majorem sibi scientiam comparare, qui cum hominibus, & natura rerum magis versantur; eos minorem, qui minus. Naturalem igitur ignaviam alunt ea sententia Platonici.

§. II.

VIs tamen percipiendi & intelligendi innata nobis est: nempe est ipsa anima, cujus substantia eadem est in infantia, & in virilitate. Sed ejus tamen capacitas brevissima est, perspicacitas debilis, distractio maxima. Et primum quidem probabile est, & ex experientia confirmatur, non omnes animas eadem capacitate & perspicacitate præditas esse, sed alias majore, alias minore pollere. Deinde maxima capacitas, & perspicacitas, quæ in hominibus reperiri potest, si capacitati & perspicacitati Angelorum comparetur, stupiditas erit: ut si capacitas & perspicacitas Angelorum cum ipsa Dei intelligentia conferatur, ignorantia & ipsa atque stupiditas esse reperietur. Præterea si capacitas humana cum rerum, quæ sciri possunt, numero conferatur, erit velut unum ad infinitum. Nempe quæ sciri possunt infinita sunt, quæ nedum homines, sed Angeli ipsi ignorant, & quæ scire non possunt. Quæ veritas cautos nos facere debet. I. ne iis per-

(a) *Ecclesiaste cap. 3.*

(b) *Platonicorum ea est opinio, probata etiam Origeni, & Augustino, quum adhuc esset Juvenis: nam vir actus rejicit.*

perquirendis operam demus, quæ sciri nequeunt; II. ut mentem nostram necessariis tantum sciendis admoveamus. Verissimum est enim Senecæ illud, *necessaria ignoramus, quia superflua discimus*.

§. III.

IMbecillitas spectatur vel in intelligendo, vel in recordando. Utraque maxima, licet non æqualis in omnibus. Quod ad primam, quidam sunt, qui vix trium idearum concatenationem perspicere queunt, quos unius syllogismi homines appellat Lockius: alii seriem idearum paullo longiorem intueri possunt. Primi series plurium idearum videre nequeunt: eas vocant supra captum humanum. Videmus sane tirones diu laborare ut primarum propositionum Euclidearum demonstrationes intelligant: & eorum plures nullo modo intelligere posse. At quædam sunt series idearum, quas paucissimi intelligunt, etiam ex subactis, tantum abest, ut secundi illi. Quotusquisque ordinem *principiorum* Nevvtoni perspicit? Paucissimi autem isti Angelorum paullo longiores quasdam ratiocinationes fortassis non intelligerent. Apparet ergo vim ratiocinandi & intelligendi & brevissimam esse in hominibus, & non in omnibus æqualem.

§. IV.

SEd hæc imbecillitas evadit major si memoriæ quoque adsit debilitas: nisi scilicet memoria sit robusta & vivida, ut dum secundam ideam intueri conor, primam vivacissime retineat, & secundam, dum ad tertiam progredior, & ita porro, efficitur ut nullo modo ratiocinari queam. Prout ergo magis vel minus robusta & vivax est memoria, ita longius, aut brevius ratiocinando pergere possumus. Inde provenit ut longiores demonstrationes primo conatu non intelligamus, quæ assuetudine postea familiares fiunt. Jam vero memoria non eadem est in omnibus. Quidam sunt qui adeo labilem memoriam habent, ut vocaveris homines solius simplicis perceptionis. Alii vero paullo robustiorem & vivaciorem habent, ut alii ad miraculum, ut nobis videtur, robustam & vivacem. Ea

pendet a cerebri textura. Qui temperamento ſunt ſanguinei, aut cholerici, ingenio & acumine valent, memoria non æque. Qui atrabile, aut phlematico temperamento ſunt prædititi, memoria plurimum, ingenio & perſpicacitate parum valent.

§. V.

HIs omnibus accedunt morbi, qui ex voluntate naſcuntur. I. Per varia diſtractio. II. Propenſio ad voluptates. III. Averſio a labore. IV. Mala electio ſtudiorum. Et primum quidem veritatis inquiſitio exigit *attentionem*, ſine qua nihil accurate examinari, nihil probe intelligi poteſt. At voluntas dum nos per varia diſtrahit objecta inconſtans, & levis, attentionem *ſcientiæ conciliatricem* avertit. Deinde natura ipſa rapimur ad voluptates: eæ & attentionem, & ſtudium omne interrumpunt. Dum voluntas frænum voluptatum deſiderio laxat, omnem vitæ ordinem evertit; & nos pigriores etiam, quam natura ſumus, efficit. Præterea dum averſionem a labore ſtudio & exercitio non conatur mitigare, ſed eam fovet, ignorantiam & ſtupiditatem noſtram auget. Tandem dum ea ſtudia eligimus, quæ capacitati, ſtatui, tempori accommodata eſſe non poſſunt, tempus fruſtra terimus, & laterem crudum lavamus.

§. VI.

DUbitari non poteſt, quin ignorantia, brevitas, imbecillitas, voluntatis corruptio, non minimum ſint malorum, quibus homines ſubagitantur. Sed majus ſunt, & quod miſeriam mirum in modum auget, errores prope infiniti in quibus homines verſantur, quum in ſcientiis theoreticis, tum potiſſimum in practicis. Errores iſti contentiones, iras, bella progignunt, unde vita humana continuo affligitur. Nihil igitur prius Logicus habere debet, quam ut errorum fontes, præcipuos ſaltem, indigitet, & remedia, quæ inveniri poſſunt ſalubriora, adhibere conetur.

§. VII.

§. VII.

ERror est falsa cognitio quæ pro vera habetur. Est autem vel in perceptionibus & ideis: vel in judiciis, vel in ratiociniis. Idea falsa est, quæ objecto suo non respondet. Plurimas esse ideas falsas, potissimum vero abstractas, & compositas, vix credibile est Cartesianos negasse, quos idcirco gravissime reprehendit Buddeus: ii enim non negabant ideas sensuum plerunque objectis suis non respondere, adeoque perceptionum, & judiciorum falsorum caussas esse, aut saltem occasiones. Judicium falsum, est quum vel de idea ea affirmamus, quæ illi non conveniunt, vel illa negamus, quæ ei tribuenda erant. Itaque tam errat, qui affirmat trianguli rectilinei angulos æquales esse tribus rectis, quam qui duobus rectis æquales esse negat: & tam errat, qui nullum esse Deum fatetur, quam qui illum cum universo confundit. Ratiocinatio est falsa, quum conclusio deducta judicium falsum continet. Id autem fit, aut, quia ex falsis principiis ratiocinamur, aut quia ex veris non rite & juste.

§. VIII.

CAussæ autem errorum, seu cognitionum falsarum, quæ pro veris habentur, vel in animo sunt, vel in corpore, vel extra nos. In animo potissimæ sunt. I. brevitas mentis & imbecillitas cum infinita sciendi libidine conjunctæ. II. Defectus voluntatis & attentionis cum amore proprio junctus. III. Affectus dominantes. In corpore præcipuæ sunt. I. ejus pondus quoddam & pigritia naturalis. II. Ejus, potissimum cerebri, temperies, a qua animus plurimum pendet. III. Sensuum paucitas & imperfectio. Extra nos primariæ sunt I. Parentes. II. Magistri. III. Populus. Et hæ quidem sunt caussæ maxime universales. Ex his porro fluunt infinitæ aliæ minus universales, quas singillatim enumerare longissimi esset operis & quarum præcipuas, prout se occasio tulerit, indigitabimus.

CAP. III.

De caussis errorum in animo exsistentibus, & primum de duabus prioribus.

§. I.

Mentem nostram esse brevissimam, atque imbecillem, superiori capite demonstratum est. Sola autem brevitas & imbecillitas, nisi accederet infinita illa sciendi cupido, ignorantiæ tantum caussa esset, non etiam falsæ cognitionis & errorum. Sed cum cupiditate ista occulta sciendi conjuncta, vix credibile est quot errorum caussa sit. Id vero plurimis fit modis. I. Falsa opinione putantes tantum sciri posse quantum quæri, adeoque ea studiose pervestigantes quæ. 1. aut captum nostrum superant. 2. aut quorum sciendorum media & viæ deficiunt. 3. aut ad quæ scienda nondum rite præparati sumus. II. Sine ordine dicentes plurimis simul operam navantes, atque attentionem ad multa dividentes. III. Iis nobis ideis satisfacientes, quæ inadæquatæ sunt confusæ. IV. Iis operam dantes, quæ statui & ordini nostro non sunt necessaria, quæque voluptatis magis habent, quam utilitatis, unde fit, ut in necessariis postea deficiamus. V. Novitatibus nimium studentes. Examinemus pauca hæc paullo accuratius.

§. II.

Primum, plurima sunt, quæ non paucorum tantum, sed omnium hominum captum superant, quæque operose investigare, est oleum operamque perdere. Ad hanc classem referendæ sunt omnes quæstiones de *possibilibus*, quibus Scolastici libros suos instruxerunt, & quæ neque lumine naturæ, neque Dei revelatione sciri possunt. Ex. g. An Deus mundum ab æterno facere potuerit: utrum mundus ab æterno factus, libere factus fuisset: utrum Deus aliquid ab æterno fecerit: Quo in loco Deus exsistebat ante conditum mundum: Quo modo sit immen-

menſus, nec extenſus & diviſibilis: Qua ratione futura libera cognoſcat: utrum immenſitas Dei ſit etiam infinita reſpectu Dei intellectus: utrum poſſit Deus elevare creaturam per potentiam obedientialem ad vim creandi: utrum Dei potentia fieri poſſit ut lapis cogitet: Quid futurum fuiſſet ſi Adam non peccaſſet; & an Adamo non peccante Chriſtus veniſſet: utrum incarnari potuerint Pater & Spiritus Sanctus: Utrum verbum aſſumere potuerit naturam bruti, aut plantæ, & qua ratione tunc prædicaſſet: an hoc univerſum ſit infinitum: & ſi finitum eſt, qua cum re terminet: qua ratione animi a corpore ſoluti corpora percipiant: An in corporibus proprietates quædam ſint, quæ ſenſus & conjecturas noſtras lateant: Quid ſit in aliis orbibus; & ſi in iis ſit animantia, quæ eorum vita, quæ ſocietas, qui mores, quæ ſtudia: & hujuſmodi infinita, quæ nec ratione ulla, nec revelatione ſciri poſſunt, & de quibus ſine magna imprudentia & temeritate definire nequimus; & in quibus perquirendis mirum eſt potuiſſe litterarum ſtudioſos per tot ſæcula operam perdere.

§. III.

Alia autem ſunt, quæ idcirco ſciri nequeunt, quod media, & viæ ad ea ſcienda nobis nulla ſuppetant, cujuſmodi ſunt præter quædam, quæ ſuperiori §. memoravimus de aliis globis, hæc. I. Quælibet materiæ portio dividi poteſt in infinitum? II. exiſtat extenſio vacua? Sol ſit corpus metallicum, an vitreum igne fuſum? IV. In centro telluris ſit ignis, an maſſa metallica? V. Quadrari poſſit circulus? VI. In Saturno aliiſque Planetis ſint atmoſphæræ aereæ? VII. circa ſingulas ſtellas ſint ſua ſyſtemata planetaria? VIII. Tellus circa Solem, an circa Tellurem ſol moveatur? IX. cujus figuræ ſint primæ corporum monades? X. Quanta ſit diſtantia fixarum a nobis, & quanto temporis intervallo inde ad nos lumen tranſmittatur? XI. Quantum conferat Sol, quantum Luna ad elevationem aquarum Oceani? & alia innumera, in quibus examinandis graviſſimi quandoque homines tempus perdiderunt. Eodem ſpectant inveſtigationes

historiarum antiquissimarum nationum temporis obscuri, quarum ad nos nulla monumenta transmissa sunt, & in quibus major hominum pars bonas horas consumunt. His adde studiosas inquisitiones in veterum Chronologia ordinanda, aut in annis mundi fixandis.

§. IV.

JAm vero quædam sunt, quæ sciri recte nequeunt, nisi ad ea probe præparati accedamus: sunt enim quædam disciplinæ, quæ aliis facem præferunt. v.g. I. ut Scripturas Sacras intelligamus linguarum orientalium studium, studium Critices, & historiæ veterum Asiæ nationum, necessarium est. II. Et ad leges Romanas rite interpretandas Romanæ historiæ cognitio, plerumque etiam Græcæ. III. Jurisperitus jus naturale & Gentium noscat oportet. IV. Canonista Scripturas, Conciliorum statuta, & historiam Ecclesiasticam. V. Physicæ amator historiam naturæ. VI. Qui cupit recentiorem Philosophorum Systemata noscere, disciplinas Mathematicas. VII. Qui librum aliquem est interpretaturus, Auctoris linguam, & Scientiam. VIII. Ethicæ studiosus Metaphysicam. IX. Qui accedit ad Medicinam, præter Physicam etiam Staticem, Hydrostaticem, aliasque disciplinas physicomatematicas. Mitto cetera, ne sim longior. Qui sine his præsidiis ulterius progreditur in cœptis, is haud dubium ad singulos passus cespitat.

§. V.

PRæterea quoniam capacitas & attentio mentis brevis est, qui aut sine ordine discere conatur, aut ad plura attentionem divertit, in errores incidat necesse est. Nam I. qui sine ordine philosophatur, ad mentis brevitatem addit confusionem. II. Qui ad plura attentionem divertit, is nulla de re claras, distinctas, & adæquatas ideas acquirit: unde non solum tenebras intellectui offundit, sed superficiariam quandam scientiam, & falsam acquirit. Hoc peccatum ii magis peccant, qui magis sunt sapientiæ aut amantes, aut saltem ambitiosi. Hujusmodi esse philologorum bonam partem jam dudum doctis observatum est.

§. VI.

§. VI.

EVenit plerunque, ut qui magis eruditionem amant, minus ſint laboris patientes, aut præ ceteris occupationibus animi, vel corporis minus lectioni & meditationi vacare poſſint. Eam ob rem omnium diſciplinarum compendiola ſibi comparant, & ſtudioſe legunt. Ea quum perlegerint, interdum magna feſtinatione, putant ſe Hiſtoricos, Philoſophos, Theologos & id genus alios. Si in longiores libros incidunt, ſatis habent legiſſe vel titulos, vel ſaltem indiculos (a). Hinc ſe ad quavis de re, etiam abſtruſtiſſima, confidenter judicandum ingerunt. Quot autem falſa judicia inde proveniunt? Dolenter dico: ex quo compendiola iſta ſcientiarum edita ſunt, & indiculi, Gallorum maxime opera, diſciplinæ enervatæ ſunt, & quæ mentes profundæ vocari ſolent, evanuerunt. Arogantes enim hæc juvenes faciunt, dum ex iis judicant paucis annis, aut menſibus; poſſe ſe cunctarum diſciplinarum peritos fieri. Quantum igitur hæc conficientibus proſunt, tantum nocent legentibus.

§. VII.

AD hæc, quum iis ut plurimum operam dant homines, quæ voluptatis magis, quam utilitatis aut neceſſitatis ſunt, utilia & neceſſaria prætermittunt, atque inde in muneribus ſuis fungendis miſere perturbantur & hallucinantur: cujuſmodi ſunt qui Reipublicæ, aut Religioni regendæ deſtinati, pro Legum, Ethicæ, Politicæ, germanæ Theologiæ, gravis Eloquentiæ ſtudio, toti ſunt aut in vetuſtis, inſcriptionibus numorum tabularum, ſtatuarum, tempore magna ex parte corroſarum, interpretatione: aut in linguis, quarum vix aliqua ad nos veſtigia pervenerunt, veteri Ægyptiaca, Æthiopica, Carthaginienſi, coagmentandis: aut in Ebræorum poeſi reſtituenda; aut in minutiis ineptiſſimis veterum morum & temporum: aut in improbo Algebræ ſtudio. Generatim autem

(a) *Lepide Swith, recentiores, inquit, literati omnes ſunt Ebræi: legunt enim ſiniſtrorſum dextrorſum, ideſt ab indiculis.*

autem Philologi in quot ineptiis occupantur? Quot fuerint Hercules? Quot Zoroastres? Major ætate sit Homerus, an Hesiodus? Quoto mundi anno Eneas venerit Italiam? Quænam poesis forma prius obtinuerit, rithmica, an metrica? Lirica, an Epica? Roma dicta ita sit a Romulo, an a ῥώμη? Quæ vestes, qui accumbendi ad mensam modi, quæ armorum formæ apud veteres? Annibal qua Alpium parte transierit? Sunt hujusmodi infinita, pro quibus ingentia volumina sæpe cudi videas. Sed & sunt hujusmodi nugæ etiam in sublimes disciplinas a levissimis & otiosis hominibus inductæ, quæ ab utilibus & necessariis animum avertunt. Quid? non attingenda hæc sunt? Respondeo eos in his immorari æquum est, qui nihil agere majus & utilius possunt. Legenda est omnino aurea Senecæ epistola 87. ad Lucilium.

§. VIII.

NOvitati quoque dum æquo nimium studemus, fieri non potest ut in plurimos errores, & absurdas sententias non incidamus. Inde enim provenit, ut gloriæ ambitiosi ceteros contemnamus, & soli intellectui nostro nitamur. Hinc natæ sunt tot pueriles conjecturæ de rebus aut in tempore, aut in natura occultis: tot philosophorum systemata, in quibus præter ingenium nihil laudes; tot in Religione Christiana hæreses. Non ego autem is sum, qui Juvenes ab investigatione veritatis absterrere cupio: tantum modum & judicium adhibendum præcipio; tantum moneo ut & ne nimium de viribus mentis nostræ desperantes, servum aliorum pecus evadamus; & ne, dum omnes alios contemnimus ut truncos, ineptias ipsi & absurda proferamus. Amor hic novitatis Anglos potissimum postremis hisce temporibus vix dici potest in quot absurda systemata conjecit;

§. IX.

ACcedamus nunc ad defectum voluntatis cum amore nostri ipsorum conjunctum. Ad hominem eruditum efficiendum hæc potissimum requiruntur. I. Nativa quædam mentis perspicacitas. II. Vivax memoria. III.

III. optimorum Magistrorum aut librorum copia. IV. & seria voluntas cum improbo studio conjuncta. Horum tamen omnium si priora tria sint mediocria, postremum vero perfectum, etsi sero tandem, at pervenimus tamen ad eruditionem & scientiam non certe parvam. Sed si priora tria vel egregia sint, ultimum vero deficiat, nemo unquam vel latum unguem in litteris proficiet. Seria ergo voluntas ad sapientiam comparandam omnino est necessaria. Apposite Horatius,

Qui cupit optatam cursu contingere metam.
Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alsit,
Abstinuit Venere & vino.

§. X.

PRovenit autem defectus voluntatis a pluribus caussis. I. Ex voluptatibus corporeis, quibus distrahimur. II. Ex opinione imbecillitatis mentis nostræ, atque ex præjudicio, aut nos in quibusdam disciplinis proficere non posse aut nihil a nobis sciri posse. III. Ex timore amittendæ salutis. IV. Ex eo quod vi quadam cogimus iis operam dare, a quibus animus paullo abhorret: V. Ex superstitione quadam, qua putamus fas non esse quædam ad incudem revocare. VI. Ex nimia erga majores nostros reverentia. Sed perpendamus hæc accuratius.

§. X I.

VOluptates corporeæ animum enervant, atque objecto voluptatis ita affigunt, ut ostracæ scopulis, inquit gravissime Plato. Ergo I. memoriam, sine qua nulla scientia comparari potest, auferunt. II. auferunt attentionem scientiæ conciliatricem. III. acumen retundunt, potissimum nimius usus veneris, & cibi. Legenda est Architæ Tarentini contra voluptates corporeas divina oratio (*a*).

§. X I I.

EX imbecillitatis mentis nostræ opinione efficitur, ut animum despondeamus. Hæc opinio plurimum nocuit Peripateticis, uti observat Verulamius. Oportet enim ea etiam tentare, quæ majores nostri frustra ten-

(a) *Apud Tull. de Senect.*

tentaverunt, dummodo non esse supra captum humanum, constet, & probabilis adsit spes inventionis. Quot enim detecta sunt majoribus ignota, aut frustra investigata? Huic autem vitio si addas nimiam erga majores reverentiam, aut animum scepticismo imbutum, efficies hominem, qui nihil minus studeat, quam sapere.

§. XIII.

QUidam alii sunt adeo delicatuli, ut putant vitæ spatio detrahi horas omnes, quæ meditationi, aut lectioni impendunt. Quæ opinio falsa est. Prostant enim in historia literaria exempla plurima hominum meditatione & lectione subactorum, qui tamen ad decrepitam usque Senectam pervenerunt, cujusmodi Plato, qui 81. annis natus legens mortuus est, S. Hieronymus, qui 91. Thomas Hobbesius, qui decrepitus, Nevvtonus, qui circa 85. vitæ annum, aliique infiniti. Sic enim habeto, cibi, potius, Veneris, aliarumque rerum intemperantiam, non lectionem & meditationem homines occidere, dum ordinata sit: *nam alioquin studiorum quoque intemperantia est.*

§. XIV.

PLerique etiam sunt, qui studiorum genus non eligunt, sed ad illud majorum imperio adiguntur, ipsi plerunque inviti. Ex eo fit, ut quoniam nulla attentione genus illud studiorum persequuntur, nihil in eo proficiant, ineptique inde artium professores, errorésque plurimi proveniant. Peccant igitur hac in re majores nostri, qui quum indolem puerorum & adolescentium minime explorant; tum vero etiam eos invitos, ut plurimum, ad studia quædam impellunt. Legendus hac de re Quintilianus sub initium lib. 1.

§. XV.

HIs accedit superstitio. Quidam sunt qui putant nefas esse studiis quibusdam animum applicare, quod credant ea Religionem corrumpere: quasi vero studium sapientiæ religioni adversetur; aut quasi Religio sit falsa, adeo-

adeoque timeat sibi ab inquisitione veritatis. Hoc modo apud quosdam Europæ populos studia Metaphysicæ, Criticæ, Mathematicæ inculta jacuerunt: Qui Geometriam discebant Magi vocabantur. Alii vero in ea sunt opinione, non licere sententias semel receptas ad incudem revocare, Nec defuerunt apud nos, qui docerent, sententias veterum Patrum usque ad ultimum jota adorandas, non esse curandum de Ecclesiæ judicio, si constet aliquid dictum esse ab Augustino, & similia, quæ jure Ecclesia Romana, & doctiores Theologi gravissime damnarunt. Qui hac superstitione tenentur, nec veteres errores perspicere, nec in investigatione veri vel hilum proficere possunt. Sed de auctoritate majorum paullo póst exactius.

§. XVI.

VIdeamus nunc quibus remediis his occursum ire possimus. Id ut fiat sequentes Canones memoriæ sunt infigendi.

Can. I. uQæ constat supra captum humanum esse, ne investigato :Si non constat, animum quidem ne despondeto, sed si inutilia sunt, ut parum utilia, ne diu quærito, animumque a necessariis ne abstrahito.

II. Ea ne perquirito, quorum sciendorum media non comparasti, & ad quæ intelligenda probe prius non es initiatus.

III. Quæ non omnium capacitatem, sed tuam tantum superant, ne inquirito; priusquam opportunis studiis capacitatem & acumen necessarium comparaveris.

IV. Attentionem ad plura ne dividito; minor fit enim divisa, & nihilo apta.

V. Studia ordinato. Ea præcedant, quæ aliis lumen præferunt.

VI. Ne perfunctorie de rebus difficilibus meditator: ne credito ex compendiis disciplinarum animum fieri satis profundum. Libros legito qualibet in re optimos quidem, sed exactos, & profundos.

VII. Quoniam vita brevis est, scientiam comparato necessariam & utilem tibi, atque societati. Curiosa & vana

vana aut nunquam, aut e limine tantum salutato, non ut in illis aliquid boni inesse putes, sed ut quam nihil boni cotineant agnoscas.

VIII. Novitatis nec nihil, nec multum amans esto. Primum enim facit paullo stupidiorem (*a*): alterum arrogantiorem (*b*). Omni in re sensum communem consulito; tibi soli ne fidito.

IX. Ex animo veritatis studio incumbito sciens nihil sine improbo labore fieri posse in literaria Rep.

X. Philosophus voluptates ne nimium sectator: Vix enim reperire est hominem vere doctum, simul autem & mollem.

XI. Nihil aggreditor invita minerva. Studia eligito indoli & corpori accommodata.

XII. Superstitionem, si qua est, exuito: Eclecticorum libertate philosophator. Ne quid nimis, nisi veritatem, amato.

CAP. IV.

De erroribus, qui ex affectibus nascuntur.

§. I.

Superest ut tertiam errandi caussam, ex iis quæ in animo sunt, persequamur, nempe affectus. Sunt affectus ignorantiæ simul & errorum caussæ. Nam qui affectu subagitatur, animum investigationi veritatis serio admovere non potest: deinde ea pro veris & probabili-

(a) *Hinc Philosophia Scholastica ne latum quidem unguem profecit, quod, quoniam in ea erant Scholastici Philosophi opinione, nihil addi Aristoteli, generis illi humani genio, posse, nihil melius excogitari; nihil novi unquam conati sunt: nempe religio erat vel bilum ab Aristotele discedere. Quasi novare in philosophia perinde esset atque in Religione.*

(b) *Quod hoc esset neglectum, magna illa plurium recentiorum emersit temeritas, hypotheses pro* statis *naturæ vulgare, & confidenter de incertis judicare: Legatur Malebranch. lib. 2. de inq. verit.*

babilibus habet, non quæ ratio, sed quæ affectus suaserit. Nempe affectus & attentionem avertunt, & acumen retundunt. Hinc Plato eos appellat nebulas, quibus serena mentis regio opacatur: Plutarchus vitra colore perfusa, quibus rerum aliarum colores immutantur.

§. II.

UT autem intelligatur clarius, quid in animo efficiant affectus, eorum natura paullo accuratius explicanda est. Tria sunt potissimum in affectibus consideranda 1. variæ perceptiones boni vel mali 2. variæ commotiones corporis; præcipue sanguinis, & nervulorum. 3. voluptas, dolor, & inquietitudo quædam. Ex his secundum tantum affectus nomine vocatur: nam primum caussa secundi est, seu affectus; ut tertium est effectus secundi. Non omnis autem perceptio affectus in hobis gignit, sed tantum perceptio boni vel mali. Perceptio boni præsentis lætitiam, absentis desiderium, amorem, spem, alacritatem, audaciam, aliosque. Perceptio vero mali præsentis dolorem, iram, odium: absentis timorem, desperationem, & hujusmodi alios de quibus in Ethicæ Elementis disputamus. Porro Bonum, quod desideratur vel corpus spectat, vel animum, vel famam, vel divitias. Primum desiderium facit voluptuosos & brutos: alterum efficit virtuosos & philosophos: tertium efficit ambitiosos: quartum avaros.

§. III.

OMnes ferme affectus duo maxime, mala, ut diximus §. 1., philosopho afferunt; 1. attentionem & voluntatem avertunt: 2. ideas & judicia corrumpunt. Itaque qui aut nimia & gestiente lætitia, amore, desiderio, spe, ambitione; aut gravi dolore, mæstitia, timore, desperatione, ira, odio laborat, animum nullis studiis advertere potest: cujus ratio ea est, quod mens nostra semper a vehementioribus impressionibus impellitur; nam semper vehementiores impressiones & sensationes intensiorem dolorem, inquietudinem, aut voluptatem gene-

generant: & mens quemadmodum a voluptate, vel dolore, vel inquietudine, semper determinatur, ita semper a majore inquietudine, vel voluptate, vel dolore, magis impellitur. Vix autem reperias hominem, in quo amor sapientiæ vividiorem impressionem faciat, quam affectus ipsi.

§. IV.

SUnt tamen affectus quidam qui attentionem, voluntatem, & alacritatem studiorum augent, veluti 1. amor & ambitio honoris. 2. Spes præmii. 3. Invidentia. 4. dolor ex contemtu; atque indignatio. Quod spectat ad primum, & secundum, id probatur evidentissimis experimentis, quibus constat tunc maxime artes omnes & scientias splenduisse, quum literati homines in honore habiti sunt, & præmiis ornati; veluti in Græcia Reipublicæ tempore, quum Philosophi & Oratores & magni æstimarentur, & ad summa Reip. munera eveherentur: Romæ ante Cæsarem dictatorem Oratores: Augusti, & Mecenatis tempore Poetæ, quod eo tempore Oratores summo in pretio haberentur, & ad Reipublicæ majores dignitates promoverentur; hoc vero Poetæ intimi essent Augusti familiæ, & divis propiores, inquit Horatius: in Galliis sub Ludovico XIV. literati ferme omnes, quos ille vel invitos ad præmia adigebat. Præterea eæ disciplinæ magis coli videntur & augeri, quæ magis in pretio habentur, cujusmodi Mathematicæ apud Anglos: Jurisprudentia apud Neapolitanos: illis enim Mathematicæ ad navigationem, istis ad Forum jurisprudentia prodest plurimum. E contrario quum disciplinæ nullo sunt in pretio, & literati homines despiciuntur, artes & scientiæ omnes jacent. Egregie igitur Cicero, *honos olit artes*. Præterea plures *invidentia*, *contemptus*, *indignatio*, *ira* ad egregia molienda adegit, dum Superiorem non tolerarent. Violentissimi enim sunt affectus invidentia, indignatio cum contemtu conjuncta, & ira. Et ira quidem præclare *ingenii cos* dicta est veteribus. Quidam etiam sunt, qui amorem platonicum, ut vocant, his addunt. Nec negandum

est

est affectum hunc, dum nihil sordidi admistum habet, alacriorem animum reddere, & dociliorem: alioquin si ab ea puritate degenerat, hebetat & obtundit. Sed amor hic cum tota Platonis Republica in Adæ fece nec fuit unquam, nec futurus est.

§. V.

JAm vero affectus ideas & judicia corrumpunt: nempe res nobis aliter atque sunt, ostendunt. Id quod aliquot exemplis demonstrabimus. I. ex lætitia gestiente. II. ex amore & odio. III. ex desiderio. IV. ex spe. V. ex ambitione. VI. ex avaritia. VII. ex timore. VIII. ex ira. IX. ex suspicione. Primum lætitia gestiens quum animum occupavit, res omnes vel gravissimas, leves, vel turpissimas, indifferentes ostendit. Animus enim hoc affectu plenus nulli rei serio advertere potis est: omnes præterit, tanquam nullius momenti: & paulatim a voluptate ad errores & scelera rapitur. Non alio certe modo crimina gravissima admittuntur. Itaque viri sanctissimi quum incauti hanc lætitiam, & voluptatem animo excepissent, in deridicula & nefanda delapsi sunt, qualis Eva, David, Salomon, aliique, quos ipsa sacra memorat historia. Clarum est quod de Alexandro paullo hilariore refert Curtius, eum nempe ut Meretrici morem gereret, jussisse, ut Persepolis combureretur: at, quod in his evenire solet, sera eum pœnitentia cepit.

§. VI.

AMor vero & odium mirum in modum rerum ideas pervertunt: ille quidem ampliores efficiens; hoc minores: ille amatæ rei deformitates & vitia tanquam pulchritudinem & virtutes exhibens: hoc pulchritudinem & virtutes referens velut dehonestamenta, & vitia. Est ad manus egregium Plauti exemplum. Agorastocles adolescens deperit Adelphasium virginem meretricem. Milphio servus eandem odit. Uterque de illa non certe sanum judicium pronunciat: quippe uterque corruptus Judex. Agorastocles;

Dii immortales omnipotentes ! Quid est apud vos pulchrius?
Quid habetis, qui mage immortales vos credam esse quam ego siem,
Qui hæc tanta oculis bona concipio? Nam venus non est venus &c.
Quid Milphio*?*
Propudium ! Quasi bella sit ! Quasi eampse Reges ductitent!
En monstrum mulieris ! tantilla tanta verba funditat!
Quojus ego nebulæ cyatho septem noctes non emam. (*a*)

Duo isti affectus, & partium studia historias ferme omnes corruperunt olim, & nunc corrumpunt: vix enim reperias historicum, qui *incorruptam fidem professus, eam solvat, & nec amore quemquam, & sine odio scribat*, quod in historico exigit Tacitus (*b*).

Nec in vita tantum morali, atque civili, sed & in litteraria ita errare passim homines solent. Litterarum studiosi unam præ reliquis habent in deliciis disciplinam. Familiari consuetudine ita illius colore animum imbuunt, ut I. nihil eis sapiat, quod illam non redolet: II. quæcunque concipiunt, ejus colore inficiant. III. Si quid in illa novi moliuntur, tam esse putent antiquum, quam est mundus (*c*). Leibnitius ita erat Algebræ studiis mancipatus, ut, quemadmodum retulit Vvolfius, ipsam Grammaticem Algebraicis calculis explicare cogitaverit. Nevvtoni vox fuit, probari a se ex omnibus Christianorum sectis *Socinianam*, quod Geometricum in morem consideret illam, fidiis placet, demonstrare. Geometram non ineptum dicentem audivi, nulli alii disciplinæ oportere hominibus operam dare, præterquam mathematicis. Indigna philosopho sententia. Non enim id de Ethicis saltem dicat, quæ hominum vitam atque beatitudinem continent. Jam vero Antiquarii & Polyglotti adunco suspendunt naso quidquid barbaris notis non est varie-

(*a*) *Plaut. in Pœnulo Act. 1. scen. 2.*
(*b*) *Lib. 1. hist. cap. 1.*
(*c*) *Legatur Vicus noster, Scientia nova, Degnità III.*

variegatum aut ex Pyrrhæ Seculo minime repetitum. Nec semel quempiam dictare audivi, homini studioso cetera negligenda esse, unum *Linguarum* & *Antiquitatum* studium per totam vitam persequendum. Quod is & facit, qui

. . . . nisi quæ terris semota, suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit & odit,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.

At Metaphysico sordescunt, quæcumque mundum intelligibilem, an inintelligibilem? non crepant. Dici nequit quot sint hanc ob causam de gerris germanis scripti libri, quantaque animorum contentione pugnatum (a).

§. VII.

IDem faciunt desiderium, & spes, nempe in caussa sunt ut facile pro re desiderata aut sperata accipiamus vel quamlibet similem, vel phantasmata nostra. Vetus enim proverbium est, *quod volumus facile credimus; ut tarde, quæ credita lædunt, credimus*. Exemplum illustre habemus in Judæorum natione. Hæc Messiam vehementi desiderio expectat. Hoc desiderium impostores Rabbini vehementissimum faciunt. Sed persuasio istæc publica plures viros astutos edegit, ut se Messiam facerent: quod quum fecissent, majori nationis parti facile persuaserunt. Celebris fuit Barchocheba ille paullo post Apostolorum tempora. Sed omnes superavit Sabbatai Sevi Smyrneus, qui nondum ducenti sunt anni, plusquam ducenta millia judæorum Asiæ, Africæ, Europæ ad se commovit; ita ut Judæi Batavi res suas venderent, ut in Asiam ad hunc Messiam trajicerent (b). Eadem causa effecit, ut quandoque impostores regnarint, quod, ut vetera mittam, contingit nuper in Moscovia, quum plures Pseudodemetrii apparuerunt. An non eadem est caussa cur levissimæ fœmellæ tam sæpe cum Deo, Angelis, Manibus, tamque diuturna, ut referunt, ferunt colloquia? Nam desiderium vires phantasiæ, qua fœminæ, & rustici pollent, ad furorem usque adaugere potest.

D 2 Ex

(a) *Legatur Charletaneria Eruditorum Menekenii.*
(b) *Argens lettres Jud. let. 49.*

§. VIII.

EX ambitione & avaritia eodem modo rerum notiones & judicia depravantur. Videre est ambitiosos miserum in modum deludificari ab Ariolis, & Astrologis judiciariis, quod hominum genus *potentibus infidum*, *sperantibus fallax* vocat præclare Tacitus. Viri alioquin prudentes, nec indocti, sed ambitiosi tamen honoris & dignitatum, divinationes has sibi persuaserunt veras, & se deridiculos fecerunt. Avari autem quam turpiter ab impostoribus Magis & Chemicis deluduntur, dum Persificos montes sperant? Dum thesauros, & *lapidem philosophicum* exquirunt? Quibus si gravissimum illud Ennii inclames,

Qui aliis monstrant viam, sibi semitam non sapiunt, non audiunt: affectus enim, gravissimus orator, dicit contra. Hinc facile creditæ fabelæ de clavo partim aureo partim ferreo, de vi herbarum aurifica, de *Mercurii* metamorphosi; & aliæ.

§. IX.

JAm nullus affectus hominibus magis illudit quam timor: Res enim omnes refert diversas,

Et Solem Geminum, & duplices se ostendere Thebas:

Potissium autem efficit timor, ut aut impune quædam fingantur, aut facile credantur, quemadmodum Tullio observatum est (a) *Sanguinem pluisse*, inquit, *Senatui renunciatum est, atratum fluvium fluxisse sanguine, Deorum sudasse simulacra .... Atque hæc in bello plura & majora videntur TIMENTIBUS; Eadem non tam animadvertuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in metu & periculo quum creduntur facilius, tum finguntur impunius*. Tota veterum Gentilium superstitio ex timore quoque, cui comes aderat *naturæ ignoratio*, & *perpetua admiratio*, magna ex parte originem habuit; Hinc vetus illud, *adorari se Deos bonos ut prodessent, malos, ne nocerent*: &, *primus in Orbe Deos fecit timor*. Timori quoque pro maxima

(a) *Lib. 2. de divin.*

xima parte debentur narrationes Spectrorum, aut Lemurum. Eadem caussa Vulgo persuasit Cometas portendere aliquid mali, idque tam pertinaciter, ut, qui dedocere velit, periculum sit subiturus increduli.

Invisibilium & incomprehensibilium quoque timor opinionem fecit vulgarem de *magia nigra*, seu de evocandorum Dæmonum arte, de Strigibus, Lamiis, maleficiorum scientia, quæ tam veræ Religioni, quam rectæ rationi e diametro adversatur: nam etsi Dæmones hominibus illudere & nocere, quocunque tandem modo, possunt; nulla tamen ars, nulla disciplina esse potest, qua homines eos evocare, sibique mancipare possint. Interim nemo est, qui publicam hanc persuasionem evellere queat ex vulgi animis. Scheinerus vir Philosophus & doctus quum per Belgas iter haberet, in ignoto extinctus est oppidulo. Evolutis ejus Sarcinulis, inventum est microscopium, occluso ad lentem pulice. Is trans lentem horrendam præseferebat Speciem. Forte fortuna eo introspexit quispiam. Is conspicato pulice, exhorruit, exclamavitque dæmoniacum fuisse Scheinerum. Quod quum ceteri comprobassent, pede stantes in uno, ut ne sepeliretur edixere Sacerdotes. Interea audacissimus nescio quis eorum, qui aderant, microscopium aperuit. Ah, inquit, pulex est, Oho! inquiunt (*a*).

§. X.

IRa præcipitati judicii, atque plurimorum inde nascentium malorum caussa est. Hæc bona apparentia pro veris continue hominibus propinat; & vera mala, quæ tamen quod affectui adulentur, bona putantur, eligere impellit. Lectu digni sunt Senecæ libri de ira ad Novatum scripti. Eorum in primo cap. I. sic egregie iram describit. *Quidam itaque e sapientibus viris iram dixerunt brevem insaniam: æque enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi consiliisque præclusa, vanis agitata caussis, ad dispectum æqui, verique inhabilis, ruinis simillima,*

(a) *Refert Vvolfius in optica.*

quæ ſuper id, quod oppreſſere, franguntur. Suſpicio autem efficit, ut nos ea, de quibus ſuſpicamur, extra nos videre credamus: inficit enim colore ſuo objecta ferme omnia, quæ in ſuſpicionem veniunt. Egregius eſt hac in re Plauti locus in Aulularia. Inducit ſenem avarum Euclionem, qui domi ſuæ theſaurum invenerat, omnes timentem, ne defoſſas opes ſibi raperent. Hæc ſuſpicio in cauſa eſt, uti in aliis ea obſervet, quæ ante non obſervaverat, aut ea ſaltem ſibi videre videatur, quæ nullibi ſunt. Sed audiamus ipſum Senem, ne impendio longius evagemur (*a*).

Nam nunc quum celo ſedulo omnes, ne ſciant,
Omnes videntur ſcrire, & me benignius
Omnes ſalutant, quam ſalutabant prius:
Adeunt, conſiſtunt, copulantur dexteras,
Rogitant me ut valeam, quid agam, quid rerum geram.

Quot ea ſuſpicio in Republica humana. Tragædias excitavit? plenæ ſunt exemplorum hiſtoriæ.

Eadem dici & plura poſſunt de ſuſpicionibus amantium, quas zelotypiam Græci appellant. In quas enim abſurdas opiniones, atque deridiculas actiones affectus hic homines non præcipitat? eſt enim & ipſe inſaniæ genus.

§. XI.

PAter ex ſuperioribus, homines ita ab affectibus deludi, ut plura multo judicent *odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut alia permotione mentis; quam veritate*, quemadmodum perſpecte obſervat Tullius (*b*). Philoſophi hac in re præſcribunt, *ne ulla de re judicium feratur, quum animus affectu ſubagitatur*. Sed id eſt canere Surdis: affectibus enim quaſi ad judicia inviti rapimur. Duo igitur ſunt monenda.

I. *Operam dato, ne affectibus animus occupetur, neve proclivis ad affectus concipiendos evadat.*

. . . . *animum rege, qui niſi paret*

Im-

(a) *Act. 1. Scen. 2.*
(b) *Lib. 2. de Oratore cap. 42.*

Imperat: hunc frænis, hunc tu campesce catena (a): ob id, principiis obstato: nam sero medicina paratur,
Quum mala per longas invaluere moras.
Scito, non posse te simul litteris & affectibus indulgere.

II. *Quæ judicasti, dum affectu agitareris, sereniore mente ad incudem revocato: quæ scripsisti nonum saltem in annum premito: pluries relegito, atque considerato.*

C A P. V.

De erroribus, qui ex corpore originem ducunt.

§. I.

Magna ignorantiæ & errorum nostrorum caussa haud dubium est corpus nostrum. Non quod animæ corporibus, veluti tenebricosis carceribus, inclusæ, & pristinum sapientiæ lumem amiserunt, & ineptæ ad cogitandum Evaserunt, ut Platonici fabulantur: Sed quum aliis, tum tribus potissimum de caussis. I. Pigritia & pondere quodam corporis naturali. II. Temperamento. III. Sensuum aut paucitate, aut imperfectione. Et primum quidem, est quædam corporis gravitas, pigritia, ignavia, eaque naturalis. Nempe corpus natura sua iners est, & laboris impatiens: Lassatur etiam, & consumitur vel exiguo labore. Hinc fit, ut quum mens nititur in egregia quædam, corpus eam remoretur, saltem usquequo habitus ad laborem non est contractus. Videmus pueros & adolescentes lectionem, meditationem, & laborem ferme omnem aversari, aut magna cum ignavia suscipere, & lente sub initium prosequi. Videmus etiam majorem hominum partem gaudere compendiolis disciplinarum, quæ laborem discendi imminuunt, & magnam brevi eruditionem pollicentur. Ex hoc provenit, I. ut pauca discamus. II. ut paullo difficiliora scitu prætereamus. III. ut superficie scientiarum contenti simus. IV. ut ideis magna ex parte obscuris, confusis, & inadæquatis hæreamus. V. ut tandem præjudicia & errores non animadvertamus.

(a) *Horat. ep. 2. lib. 1.*

§. II.

Temperies quoque corporis, aut ignorantiæ noſtræ, aut errorum ubertiſſima cauſſa eſt. Corporis temperamenta alia ſunt ſimplicia, alia miſta, ut filii medicorum docent. Simplicia ſunt quatuor. I. Flegmaticum, craſſum, tardum. II. Sanguineum & hilare. III. Cholericum. IV. Melancholicum ſeu tetrum. Miſta vero vel ex horum duobus, vel ex pluribus plurima. Qui temperamento ſunt flegmatico, licet memoria valent, ingenio tamen & acumine nihil, judicio parum. Sanguinei ingenioſi ſunt, ſed inconſtantes, *Vertumnis, quotquot ſunt, inquinati*, laboris impatientes; judicio quoque carent: aut natant, modo recta capeſſentes, *interdum pravis obnoxia*. Cholerici & ingenioſi ſunt, & acris atque ſolidi judicii, & laboris patientes. Melancholici ſunt Mente confuſi, & nunquam ſibi æquales: rebus magnis & obſcuris admodum delectantur. Miſtorum vero temperamentorum ad mentem quod attinet, qualitates ſunt variæ: ſemper tamen dominantis temperamenti qualitas prævalet. Qui cupit his de rebus plenius edoceri adeat Scipionis Claramontii viri doctiſſimi Semioticæ libros decem. Proveniunt autem hæc temperamenta a corporis ſtructura, præcipue cerebri; a ſanguinis agitatione; a natura fibrarum, nervulorumque. Cauſas vero temperamentorum externas ad *cibum*, & *aerem* refert Malebranchius (*a*). Quocirca vitandi ſunt *Philoſopho* ii cibi, eaque climata, unde craſſior ſanguis, tardiorque motus machinæ vitalis evadere poteſt. Apud ipſos veteres notata quædam climata. Hinc illud Tullii, *Athenis tenue Cœlum, ex quo etiam acutiores putantur Attici. Craſſum Thebis* (*b*).

§. III.

(a) *Maleb.* de Inquir. verit. *lib. 2. legatur totus. Conſulatur & vir clariſſimus Antonius Muratorius in* Philoſophia Morali.

(b) *Cicero de Fato. Craſſities Beotiorum notata Horatio, Abderitarum Martiali.*

§. III.

QUin temperies hæc corporis in animum influat, sitque plerumque ignorantiæ & errorum caussa, dubitari non potest. Ex hac enim temperie pendere ingenium, acumen, phantasiam, tarditatem, confusionem, inconstantiam, apertum est. Videmus pueros, & fœminas, quum magna ex parte temperamento sint sanguineo, ludis delectari, laboris esse impatientes, esse somnolentos & pigros, nec multum judicio valere. Videmus Flegmaticos tardos esse, & crudis lateribus similiores, infeliciter conari ad scientias paullo sublimiores, homines esse unius syllogismi. Melancholicos vero experimur Fanatismo omnes addictos, & nihil crepare nisi mundos ceteris ignotos, lumen, quod mortalium nulli conspicitur, imagines magnas & miras, sed tetras. E contrario Cholerici meditabundi sunt, judicii acris & solidi. Itaque ut Sanguinei judicium præcipitant, & rerum cortice contenti sunt; & Melancholici confusis & obscuris notionibus, modo aliquid magni præseferunt, hærent; ita Flegmatici incerti semper ferme sunt, & dubii.

§. IV.

SEd commodum est, ut de phantasia aliqua dicamus: Quid possit in mentem humanam phantasia nemo accuratius Malebranchio explicuit: ea enim de re toto secundo disputat libro, eorum qui sunt *de inquirenda veritate* perscripti. Eum librum plurimi facio, & ut pluries legatur ab amatoribus VERITATIS autor sum. Nam aut ex eo, aut ex nullo alio, plene disci potest, qua ratione in nobis variarum rerum perceptiones variæ, imaginationes, memoria, reminiscentia, perceptionum & motionum corporis harmonia, fiant. Quod ad rem nostram pertinet, hæc Philosopho errores phantasiæ evadere cupienti, sunt observanda.

I. Ea est inter mentem & corpus unio, ut excitatis in organis sensoriis, corde, & cerebro motionibus, respondeant in mente perceptiones.

II. Non alia ratione *sensationes ab imaginationibus* distin-

ſtinguimus, niſi quod illæ vividiores ſint & clariores, minus iſtæ vividæ, minuſque claræ.

III. Si *imaginatio* aliqua tam ſit vivida & clara, ut ſenſationis vivacitatem & claritatem exæquat, habetur pro ſenſatione.

IV. Imaginationum vivacitas & claritas pendet a ſanguine calidiore & copioſiore, & a robuſta cerebri temperie. Itaque quo natura humana eſt robuſtior & calidior, eo phantaſia eſt vividior & fortior. Hinc videmus populos agreſtiores & rudiores, fœmellas, pueros vividiſſima eſſe phantaſia.

V. Quo Cerebri ſtructura eſt robuſtior, & ſanguis copioſior & calidior, eo facilius vividiſſima phantaſmata intuemur, & quidem per longius tempus.

VI. Si naturæ phantaſticæ addatur ſimplicitas & ignorantia, phantaſmata facillime pro ſenſationibus habebuntur. Nam quum ſint vivacitate ſenſationibus æqualia (3), vix diſtinguuntur: & ſimplicitas & ignorantia præpediunt in eorum veritatem inquirere. Hinc paſſim legimus homines agreſtes, quales ſunt detecti in America, & Laponia, jactitare continuos cum mortuis, aut Dæmonibus Congreſſus. Experimur etiam noſtras fœmellas perpetuo prædicare divinas revelationes. Quid? viri ipſi litteris illuminati plerunque hærent. Morbum patior decem ab hinc annis, quem *incubum* vocant Medici. Quum eo laboro (laboro autem ſæpiſſime, & ſemiſomnus) loca, amicos, bruta me coram tam clare & diſtincte tranſire video, ut experrectus plerunque diu immotus perſiſto & dubius, ſenſationes ne fuerint, an imaginationes.

VII. Ergo *Philoſophus* per quam diligentiſſime caveat, ne aut ſuas, aut aliorum *imaginationes* pro *ſenſationibus* habeat, neu ſit aut ipſe phantaſticus, aut phantaſticis nimis credulus.

VIII. Jam vero quum ab infantia aſſueti ſimus cuncta ope *ſenſationum*, & *imaginationum* percipere (nam intellectionum purarum uſus ſero in nobis provenit, & non niſi quum in ſublimibus diſciplinis plurimum verſati fuerimus), caveat Philoſophus ne phantaſia in rebus

incorporeis intelligendis abutatur. Errores enim omnes circa res incorporeas admissi huic potissimum caussæ debent originem, quod *quæ intelligi debebant conati sint homines imaginari*, ut præclare observatum est beato Augustino.

§. V.

TEmperiei addi possunt corporis morbi & necessitates, quibus partim a meditatione & studio distinemur; partim ingenium, solertiam, memoriam deperdimus. Vita enim animalis majorem a nobis exigit curam, quam animi vita. Quumque ætas nostra, qua vivimus, vix pertingat ad 80. annos, peream si ex his decem solidi anni in studium sapientiæ impendantur, idest tres solidæ quotidie horæ, nullo unquam die excepto. Quæ quum sint, quid mirum est, nos omnes esse ignorantissimos, omnesque infinitis erroribus volutari?

§. VI.

REstant sensus, quo vocabulo intelligimus *aures*, *oculos*, *nares*, *os*, *tactum*. Quin sensus sint necessarii ad scientiam rerum externarum comparandam, extra omne dubium est: earum enim rerum ideæ non alia certa via a nobis comparantur. Audiendos non putamus, qui sensus non ad usum *scientiæ*, sed *vitæ* datos nobis docent. Quanquam an parva Scientia est scire vivere? Sed evenit tamen ut ignorantiæ, & errorum nostrorum ubertissimæ sint caussæ; & id quidem plures ob rationes. I. Ob voluptatem, qua omnes perquam vividissime afficiuntur. II. Ob paucitatem. III. Ob imperfectionem. Et primum voluptates, quæ afficiunt sensus, præcipue *aures*, *gustum*, *&* *tactum*, omnium sunt vividissimæ: eam ob rem animum totum occupant, itaut nulli alteri rei serio incumbere possit: ita enim a natura comparati sumus, ut mens nostra vividiori semper pareat corporis motioni (a): Sic occupatus & delinitus animus, aut investigationi veritatis aptus non est: aut pronus in judicia, quæ voluptatibus illis adulantur. Hinc illud.

Lan-

(a) *Vide Wolfium in Psychologia Empyrica*.

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus. Indi provenit, ut homines ſenſuum voluptatibus mancipati in Atheiſmum ut plurimum incidant: cupiunt enim hujuſmodi, bruta potius dixerim, quam homines, ut ne eſſet Deus malorum vindex, uti docet David (*a*). Videre eſt poetas potiſſimum, dum vino indulgent, & amoribus, impiis ſe, aut alios adhortari incitamentis. Anacreon ode *εἰς ἑαυτὸν* ſic ad bibendum ſe animat

Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα
Βίοτος τρέχει κυλισθεὶς,
Ὀλίγη δὲ κεισόμεσθα
Κόνις, ὀστέων λυθέντων

Nota nam velut curulis
Properat volucris ætas,
Tenuis jacebimuſque
Cinis, oſſibus diſſolutis.

Quod Flaccus (*b*) imitatur ad Sextium ſcribens

Vitæ ſumma brevis ſpem vetat incboare longam.
Jam te premet nox fabulæque manes,
Et domus exilis Plutonia . . . .

§. VII.

SEnſuum paucitas cauſſa eſt, & cur plurima ignoremus, & cur putemus falſa opinione, nulla alia eſſe extra nos objecta in hac rerum univerſitate, quam quæ quinque illis ſenſibus percipimus. Sane quis ſibi perſuadere poteſt in tanta rerum univerſitate nulla eſſe alia objecta, niſi quæ auribus, oculis, tactu, guſtu, odoratu percipimus, qui ſecum reputet Dei ſapientiam, non minus atque ejus potentiam eſſe infinitam? Mihi potius perſuaſum eſt, in tot Planetis, & Stellis fixis, in tanta aeris & pene infinita extenſione, eſſe objecta quum viventia, tum etiam vita deſtituta, numero infinita, genere & natura varia, quorum idcirco nullas habemus notiones, quod nec ſub ſenſus noſtros cadunt, nec cum iis, quæ ſub ſenſus cadunt, connexionem ullam habent neceſſariam. Veteris plurimi philoſophi, in primis Chal-

(a) *Pſalm.* XIII. ℣. 1. *& ſeqq. &* XXXV. ℣. 1.
(b) *Ode* 4. *lib.* 1.

Chaldæi (*a*) hanc aeris immensitatem infinito animantium ratione & libertate utentium numero plenam esse conjiciebant, id quod probatum est & Græcis, Latinisque, & non abhorret a Revelatione, quæ Angelorum & Dæmonum infinitum pene numerum esse docet. Quanta ergo ignoramus, palustria & inertia animantia? Dicere vero hæc nullibi esse, aut rebus nostris similia esse, non minus temerarium est, atque quod cæci dicere solent, aut colores nullibi esse, aut sonis esse persimiles.

§. VIII.

AD imperfectionem sensuum, quod attinet, nemo eam accuratius Malebranchio explicuit. Hanc enim per singulos sensus eundo diligentissime aperit. Ejus igitur ratiocinium paucis pro Elementorum angustiis exponemus. Initium facit ab oculis, qui sensuum præcipuus videntur. Ab iis decipimur plurimis modis: I. quod credamus res extra nos videre, quum in imaginibus intra nos depictis videamus. Nempe ex quolibet corpore reflectuntur undequaque in modum sphæræ luminis radii, qui per corneam & humores oculi transeuntes, in oculi fundo ejus imaginem depingunt. Quocirca nos non res ipsas, sed rerum imagines videmus.

§. IX.

SEcundo decipiunt nos circa objectorum magnitudinem & figuras. Nempe scimus istis rerum externarum imaginibus non exhiberi veram magnitudinem corporum. Nam si Microscopio granulum arenæ intueamur, videbimus illud milleplum, quam nunc oculis videmus (*b*). Idem efficiunt optima Telescopia cum rebus distantibus. Sunt autem oculi respectu animæ, quod sunt Microscopium & Telescopium respectu oculorum. Præterea res externas majores, vel minores videmus, prout

(a) *Vide Stanleyum p.* XIII. *hist. phil. & Rabb. Abraham Cober irira in pneumatica Kabbalistica dissert.* 1 *cap.* 5.

(b) *Demonstrat Wolfius in Elementis Dioptricæ, construi posse microscopia, quæ augeant objecta magnitudine quatuor millionum.*

prout viciniores nobis, aut distantiores a nobis fuerint; nam viciniores sub majori angulo majores, distantiores sub minori angulo minores apparent. Ex quo etiam fit, ut veras corporum figuras ignoremus. Hinc granula arenæ sine Microscopio rotunda, aut prope rotunda videntur; Microscopio autem variarum & irregularium figurarum (*a*).

§. X.

Tertio circa motum. Plerumque, si oculis credimus, quæ moventur putamus stare, moveri vero, quæ stant. Quum navi velociter & æquabiliter motæ insideo, *terræ urbesque recedere* mihi videntur, navis vero, cui insideo, quiescere. Hunc errorem adhibita in consilium ratione, aut aliorum sensuum experimentis, facile agnoscimus, quod nempe & navis parvum corpus est, cujus terminos videmus, & in navi nec nati, nec educati sumus. At si Tellus nostra moveretur (quod opinantur Astronomi) in qua nati & educati sumus, & cujus extremos fines non intuemur, nullo certe consilio ejus motum deprehendere ope sensuum possemus. Dum nubes magno impetu feruntur Luna sublustri, putamus Lunam magno impetu ferri, nubes vero stare. Si nubes ex Occidenti in Orientem ferantur, nos velocissime ex Oriente in Occidentem, nubes aut stare, aut in Occidentem nobiscum moveri videbimus. Ad hæc, absolutam corporum velocitatem ignoramus: velocitates enim ex relatione metiri solemus. Nunc nec distantias absolutas scimus, nec tempus absolutum; quæ, ut absoluta motus velocitas cognoscatur, cognitu necessaria sunt, ut demonstrant Physici.

§. XI.

(a) *Microscopiis & Telescopiis* puncta radiantia realia *in* apparentia *commutantur: idcirco enim objecta videntur & viciniora, & sub* angulo majori. *Demonstratum jam id ab Opticis. Idem evenire in oculis necesse est. Hinc vero fit, quod nos ipsa corpora non cernimus.*

§. XI.

QUarto, quum oculi decipiant nos circa extensionem, sequitur & decipere circa distantias. Hinc si A. B. C. sint paullo distantiora; etiam si non æque distantia, tamen tanquam æque distantia aspicio. Luna e. g. distat a nobis in distantia media trecentis triginta tribus millibus, milliariis Italicis circiter: Sol vero in media distantia, secundum quosdam, nonaginta millionibus circiter. Interim, si anticipata judicia seponamus, oculis Sol & Luna æque distare videbuntur. Sic Stellæ licet non omnes æque distent a nobis, tamen æque distantes apparent.

§. XII.

QUinto, oculi nos decipiunt circa colores, quos esse qualitates reales corporibus inhærentes referunt; quum nihil aliud sint, quam sensationes nostræ a variis *refractionibus & reflexionibus* materiæ luminosæ ex corporum superficiebus provenientes. Itaque extra nos nec lumen proprie, nec colores sunt; sed tantum vires quædam quibus ita afficimur, ut lumen & colores percipiamus.

§. XIII.

ACcedamus ad tactum, qui omnium sensuum latissimus est, quippe qui totum occupat corpus. Tactu percipimus. I. *Soliditatem*. II. *gravitatem*. III. *duritiem*, *lenitatem*, *& fluiditatem*. IV. *extensionem*. V. *figuram*. VI. *motum & divisionem*. VII. *frigus & calorem*. VIII. *dolorem & voluptatem*. In omnibus his mirum in modum sensus iste decipere nos potest. Et primum quidem circa soliditatem corporum. Est soliditas ea vis, qua corpora sibi mutuo resistunt, ut ne eumdem occupent locum. Eam non alia ratione percipimus, nisi quia continuo corpori nostro corpora externa resistere sentimus. Percipimus ergo soliditatem ex impenetrabilitate. Itaque si videremus corpora per alia corpora libere penetrare, aut per corpus nostrum libere transire sine

sen-

ſenſibili reſiſtentia, hæc ſolida non haberemus. Hinc provenit idea vacui, ſeu extenſi non ſolidi: paulatim nempe corpora fluida extenuamus, uſque dum putamus omnem amittere reſiſtentiam: Ex hac vero idea, opinio de vacuo immenſo. Præterea quoniam ex impenetrabilitate ſodilitas cognoſcitur; ſodilitas percipitur tanquam vis reſiſtens. Jam quum vires reſiſtendi non in omnibus corporibus eſſe æquales videamus: inde alteram opinionem quidam ducunt, vim ſoliditatis non eſſe infinitam, adeoque poſſe corpora ea vi ſpoliari, itaut ſe compenetrent.

§. XIV.

IDem dicendum eſt de gravitate. Corporum abſolutam gravitatem ignoramus. Eam ex relatione ad tactum noſtrum definire ſolemns. Utimur etiam oculis, atque ex mutua relatione corporum inter ſese, de eorum gravitate judicamus. Sed quum aer ſit corpus, ſuamque habeat gravitatem, is certe corporibus decidentibus, aut appenſis, reſiſtit: ex quo fit ne abſolutam eorum gravitatem nullo modo percipere poſſimus. Ergo de corporum gravitate ex tactu judicare periculoſum: præcipue quum ex relatione ad vires noſtras corpora magis, aut minus gravia dicere ſoleamus. Idem enim corpus dum ægroto, grave; dum valeo, leve mihi videtur. Veſtes quæ in frigore, flante borea, ſentiuntur leves; flante auſtro, aere paullo calidiore & minus gravitante, graviſſimæ habentur.

§. XV.

PEriculoſum quoque eſt de *duritie*, *lenitate*, & *fluiditate* corporum ex tactu judicia ferre. Nam quum *durities*, *fluiditas*, *mollitudo*, *lenitas* non ſint qualitates corporum reales, ſed tantum eorum *potentiarum* effectus in tactu noſtro excitatæ; fieri nequit, quin de talibus potentiis non ex relatione ad tactum noſtrum judicemus. Ita idem corpus viro erit molle, infanti durum, aut fluidum viro, molle infanti manui delicatæ aſperum, lene rudidæ. Præterea corpora ipſa, quæ tactui levigatiſſima

fima videntur, ut chryſtallus politiſſima, & terſa metalla, ſi microſcopio obſerventur, apparebunt ſcabroſiſſima. Quæ obſervatio diligenter recolenda eſt, dum de coloribus, & variis luminis reflexionibus & refractionibus diſputatur.

§. XVI.

Circa extenſionem, figuram, & motum tactus etiam, ut oculus, decipere poteſt. Recolenda igitur quæ ſuperius dicta ſunt. Unum addam exemplum. Si quis ab infantia oculis præditus tactu caruiſſet, eumque deinde repente recuperaſſet, is certe figuras corporum oculis diſtinguere poſſet, tactu non poſſet: quemadmodum ſi cæcus tactu figuras didiciſſet, viſum recuperans, ſolis oculis nunquam eas diſtingueret. Eſt hæc omnium philoſophorum doctrina. Ex ea autem diſcimus, de extenſione & figuris nos non alia ratione judicare, quam ex relatione ad impreſſiones ſenſuum, aut ad imagines ope ſenſuum in nobis factas. Quum autem neſciamus an imagines iſtæ figuris realibus ſint conformes, quippe poteſt res quadrata, veluti turris eminus conſpecta, imaginem in nobis rotundam imprimere; ſequitur ex ſenſibus non tuto de figuris corporum judicari.

§. XVII.

IN frigore etiam & calore pueriliter decipimur, quum has qualitates corporibus ineſſe putamus. Nempe ſunt ſenſationes noſtræ: tantum ſunt in corporibus *potentiæ* has in nobis excitandi. Nempe in corporibus calidis talis eſt partium agitatio, quæ valeat in nobis calorem producere: in frigidis vero talis eſt vis, quæ valeat ſanguinis motum in nobis retardare; quod eſt *frigus*. Præterea major aut minor intenſitas caloris, aut frigoris provenit partim ex majori, aut minori intenſitate potentiarum corporum, partim etiam ex corporis noſtri temperie, quæ ſola efficit, ut eadem res uni calida, alteri calidior, uni frigida, alteri frigidior ſit: aut eidem nunc calida, nunc frigida.

§. XVIII.

Dolores & voluptates partim animi, partim corporis esse dicuntur. Primi dolores proveniunt ex cogitationibus animi, nullis præcedentibus in corpore motibus violentis: Secundi ex violentis motibus corporis. Eodem modo primæ voluptates nascuntur ex solis animi cogitationibus: secundæ ex placidis motionibus corporis. In omni tamen dolore, vel voluptate, seu animi sit, seu corporis, conjunctæ sunt actiones animi & corporis: nam ut dolores animi apparent in oculis & vultu; ita voluptates oculis & vultu dignoscuntur. Præterea quasdam sentimus commotiones sanguinis, aut cordis dilatationes, & constrictiones in ipsis voluptatibus & doloribus animi. Id autem argumento est nec solius corporis, nec solius animi ullos esse dolores, aut voluptates, sed omnes esse hominis, aut harmoniæ animi & corporis. Exploratum est enim animi vim vivificam harmoniam facere cum corpore. Ea harmonia quum rumpitur seu cogitatione, seu violenta motione, fit dolor; quum instauratur, aut lenibus motibus conservantibus agitatur, voluptas sentitur, quemadmodum Plato egregie docuit in *Philebo*.

§. XIX.

Accedamus ad alios sensus. Naribus odores, Gustu sapores percipimus. Si sensibus credendum est, odores, & sapores sunt qualitates corporum reales. At nihil aliud sunt præter sensationes nostras; & dumtaxat in rebus externis *vires* quædam sunt, quæ valeant in nobis hujusmodi sensationes excitare. Quum autem vires istæ agant diverso modo pro subjectorum diversitate, inde fit ut eadem res uni gratum, alteri ingratum odorem, aut saporem excitet. Quam ob rem ex his nostris sensationibus de viribus odorificis, aut saporificis corporum judicare sine errore non possumus.

§. XX.

§. XX.

QUod ad aures pertinet, cavendum eſt, ne credamus, ſonos eſſe qualitates corporum reales. Nempe ſunt & ipſi ſenſationes noſtræ a corporibus motu undulatorio provenientes: Nempe dum motus corporum tremulus varie modificatus aures noſtras pertingit, varios in iis excitat ſonos. Hinc videmus campanas, aut cordas tamdiu ſonare, quamdiu in iis tremulus iſte motus perdurat: Obſervemus etiam oportet, ne decipiamur ex loco, unde ſonum provenire putamus. Nihil enim eſt facilius. Ita dum motus iſti tremuli in turres, montes, aut cavernas impingunt, indeque minime diſſipati reflectuntur, ex turribus, montibus, aut cavernis illis ſonos provenire credimus, quæ eſt Echo. Poteſt autem eadem vox, aut idem motus ita ex pluribus concavitatibus repercuti, ut plurimas voces, plurimoſque ſonos referat. Olimpiæ in Græcia porticus fuit, quam heptaphonon appellabant, quoniam pro una ſeptuplicem vocem reddebat. Hinc Lucretius,

Sex etiam ac ſeptem loca vidi reddere voces,
Unam quum faceres .....

§. XXI.

HIs de erroribus, qui ex occaſione corporis proveniunt, adnotatis veniamus ad remedia. Primam cauſam, quæ eſt corporis inertia, & gravedo, hi ſpectant canones.

I. *Conator paullatim & continuata attentione, ac meditatione, ſtudiorum habitum contrahere. Etiamſi ſub initium cum pondere corporis, tædio, & faſtidio colluctari te ſentias, ne ceſſato: hæc enim impedimenta continuato exercitio fiunt minora. Sed exercitium, ut dixi, continuetur: nulla ſcilicet dies eſto ſine linea.*

II. *Stilo utitor: nihil enim validius eſt ad philoſophandi ſaporem excitandum, atque ad ſtudiorum habitum comparandum. Quod ſi tu nondum aptus ſis commentando, ſaltem optimum librum ſeligito & deſcribito. Ita judicium tuum in optimi auctoris judicio formabis, guſtumque optimi comparabis.*

III. *Literatos viros colito: fieri enim nequit, quin animus eorum imaginibus excitetur. Literatorum* vitas *legito attente: transmeat enim ex iis in animum sapientiæ desiderium, & philosophandi vigor augetur.*

IV. *Quæ corpus gravius, & pigriorem animum efficiunt, caveto; cujusmodi sunt ludi, qui attentionem a studiis avertunt; nimius somnus, quo animi corporisque vires hebetantur; Spectacula; nimius cibus & potus; voluptates tactus, aliæque nimis gestientes.*

V. *Studiorum habitum semel contractum ne desuetudine languescere sinito: amittitur enim facilius, quam acquiritur. Itaque æquabile vitæ genus sectator.*

VI. *Corporis sanitatem diligenter custodito: idque aurea victus mediocritate; exercitio corporis aliquo; & curarum, quoad fieri potest, vacuitate.*

§. XXII.

Circa temperiem corporis hæc moneri possunt.

I. Quilibet corporis sui temperiem attente perpendito. Si se phantasia nimis vivida & inconstante sentiat esse I. caveat a spectaculis & pompis, II. a lectione Poetarum & Romanensium, III. a nimio vino, IV. a locis nimium amœnis, quæ, ut observat Plato, animum quasi diluunt, V. ab iis omnibus, quibus animus æquo nimius exhilarescit, VI. a cibis nimium sanguificis, VII. assuescat lectioni continuatæ, meditationi, & æquabili vitæ ordini, VIII. caveat a judiciis *præcipitatis*: in pueriles enim Ineptias proni sunt sanguinei.

II. Qui vero sunt temperamento tetro, curanto, I. ut remediis temperamentum istud mitescat, II. delectum ciborum habento, idest ut ne sint nimis calidi & inflantes (*a*), III. cavento a spectaculis tragicis, aut a Tragicorum lectione, IV. distineant ab animo tristes curas, V. Eligunto loca amœna, tristia fugiunto. VI. Illacrymantor sæpe: lacrymæ enim mentem quasi purgant, cerebrum veluti

(a) *Quo fortassis Pythagoræ illud spectat*, abstineto a fabis, *quo nomine legumina omnia accipio. Quamquam hac de re tot sunt Philologorum sententiæ, quot capita.*

veluti eluendo, VII. assuescant lectioni librorum perspicuorum, & methodicorum, potissimum Geometricorum, ut discant vitare notiones confusas, & obscuras, VIII. caveant a judiciis præcipitatis: in Fanatismum enim proni sunt.

III. Qui temperamento sunt tardo, conantor se excitare, I. æmulatione æqualium, II. sapientiæ amore, III. lectione librorum criticorum, IV. conversatione virorum perspicacium, criticorum, & eloquentium, V. fugiant loca humida, & crassa, & cibos crassiores, VI. cavento a commercio cum tardis, & tetris, VII. ira, quæ ingenii cos Ciceroni dicitur, iis est utilis, VIII. Præscribunt quidam *amorem platonicum*: sed vereor ne remedium sit morbo pejus, ut supra est dictum.

§. XXIII.

QUod pertinet ad sensus, pauca monenda restant.

I. *Caveto, ne de rebus externis, solo sensuum officio judices: Recolito, sensus factos, non ut rerum* essentias *deferrent, sed existentiam, & relationes. Caveto ne ea tantum esse putes, quæ sub sensus cadunt.*

II. *In consilium adhibeto* rationem, & sensum communem *optimum sciendi magistrum*.

III. *Curato, ut sensus habeas, quo fieri potest, perfectiores.*

IV. *Armato illis instrumentis, & quam optimis.*

CAP. V.

De externis errorum caussis.

§. I.

EXternas errorum caussas ad tres potissimas classes referre possumus. I. *Parentes*. II. *Populum*. III. *Et Magistros*, quo nomine etiam *libros quosdam* indigitamus. Eas omnes elegantissime explicat Cicero in Tusculanis loco prorsus aureo (a). *Nunc*, inquit, *Pauculos igniculos nobis dedit* (natura), *quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nus-*

(a) *Lib. 3. cap. 1.*

quam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuo pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Quum vero parentibus redditi, & Magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Accedunt etiam poetæ, qui quum magnam doctrinæ sapientiæque speciem præ se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, & inhærescunt penitus in mentibus. Tum vero accedit eodem quasi maximus quidam Magister populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo: tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque ipsa desciscimus. Sic Cicero.

§. II.

Sed ut has caussas distinctius explicemus oportet. Primum parentes ignorantiæ, & errorum nostrorum caussæ pluribus modis esse possunt. I. *Neglecta cura, aut nimia indulgentia*. II. *Non rite instituta cura*. III. *Nimia severitate*. IV. *Auctoritate*. Et quidem parentes omnium primum & diligentissime natorum infantium atque mox puerorum indolem explorare deberent, ut perspecte monet Quintilianus (*a*). Deinde vultu, gustu, verbis, actionibus nihil illis inspirare deberent, nisi *magnum, nobile, honestum, justum, atque majestatem* referens. Nam infantes, & pueri sunt veluti mollis cera, in qua facile quidvis impresseris. Formantur itaque ex adspectu, gestu, verbis, & actionibus eorum quibuscum vivunt. Apposite Horatius,

Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, quam monstrat eques. Venatius ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula
Militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.... (*b*).

§. III.

(a) *Lib. 1. cap. 2. quod caput attente ut legatur moneo.*
(b) *Horat. lib. 1. ep. 2.*

§. III.

AT plerique parentum hanc curam negligunt, aut non rite instituunt. Infantibus enim & pueris educandis, aut nullam navant operam; aut iis viles, & sordidas inclinationes, & vitia etiam sua, vel exemplis, vel verbis instillant. Alii nimia illos indulgentia habent, eosque molles, somnolentos, insolentes, & immorigeros faciunt. Alii ad alterum extremum declinant, & nimia severitate, præcipue verberibus, igneam puerorum indolem retundunt, & aut stupidos faciunt, aut certe a liberalibus studiis abhorrentes. Recte itaque optabat Chrysippus, ut pueri educarentur a philosophis, qui indulgente severitate nihil illis nisi honestum, grave, & sanctum inspirarent. Sed sunt hæc vota inania. Quum enim fieri nequeat, ut infantes cum Matribus & Nutricibus non conversentur, quantum ædificant philosophi, fœmininæ illæ imbelles destruunt.

§. IV.

JAm vero quum ut plurimum parentes non satis culti sint, & præjudiciorum vacui, auctoritate sua errores plurimos & præjudicia pueris communicant, quæ vix inde spoliari possunt: nam sunt & parentum natura sua reverentissimi, & eorum, quæ semel didicerunt, tenacissimi. Spectant autem præjudicia hæc vel *disciplinas*, vel *vitam* atque *mores*, vel *religionem*. Pauca exempli caussa memorabo. I. Majores nostri, si paullo civiliores sint, litterisque operam dederint, inutiles eas reputant disciplinas, quas ipsi non didicerunt, easque tantum commendant, quas didicerunt. Hinc videre est senes dissuadere juvenes a studio Mathematicarum, Linguarum, novæ Philosophiæ, exhortarique illos ad *Scholasticarum disciplinarum* eruditionem; putant enim ahduc nec disputari recte sine Scholasticorum Logica posse, nec esse Theologum sine Peripatetica philosophia. Præterea opiniones quasdam manifesto falsas in re Theologica, Medica, Physica,

ca, Ethica, Hiſtorica, quas ipſi imberbes didicere, quaſque ſenes turpe putant edoceri, dum magna ſeveritate defendunt, minoribus propinant. Hinc proveniunt tot fabellæ, quæ vulgo circumferuntur de *Spectris*, de *Spiritibus familiaribus*, de *Lemuribus*, de *excantationibus*, de *viribus herbarum*, aut *metallorum*, aut etiam *vocabulorum*, & aliis rebus, quas longum eſſet numerare.

§. V.

II. MOres cum ſemine tranſire vulgatum eſt. Id autem non tantum de corporis *temperie*, & phantaſia, (de qua præclare *Maleb. lib.* 2. *cap.* 8.) accipiendum eſt, quam de commercio cum majoribus. Videre eſt ob eam cauſſam mores quoſdam eſſe in familiis hæreditarios, tum & varias opiniones, aut falſas, aut ridiculas, aut ſuperſtitioſas, quæ mores ſpectant.

III. Religionem infantes & pueri a majoribus ſuis potiſſimum accipiunt. Majores autem iſti ut plurimum ſunt homines rudes: de *Deo*, *Angelis*, *animabus humanis*, *altera vita* non juſtas habent ideas, veluti, quod Angeli habeant corpora, quod ſint pulchri juvenes, quod edant & bibant; quod in altera vita ſint muſicæ corporeæ, flores, poma lepidiſſima; in qua etiam opinione Sacerdos quidam mihi amicus, ſed vir tamen bonus, & vitæ integritate ſpectandus obfirmato animo inſenuit. Eas *aliaſque*, dum natis ſuis inculcant, illos circa Religionem miſerum in modum corrumpunt: ita nempe, ut nunquam poſtea præjudicia illa expoliari poſſint, & ea conſtantiſſime tueantur. Hæc potiſſimum cauſſa *Gentiles*, *Muhammedanos* & *Hæreticos* in ſectis ſuis pertinaces efficit. Scilicet ob has impreſſiones, quas ab infantia receperunt, nefas putant de religione ſua dubitare. Eos, qui illis ſaniora prædicant, ſpectant ut hoſtes, & malignos: itaque aures obturant. Ita errores conſecrantur & ignorantia, *ac ſuperſtitio*, radices agit.

§. VI.

§. VI.

Accedamus ad populum maximorum atque plurimorum haud dubium errorum *colluviem*. Quot præjudicia populus foveat, & sacrata habeat, vix dici potest. Nam seu spectes mores, seu vitæ rationes, seu notitiam earum rerum, quæ nos ambiunt, ubique videas errores infinito, fabellas aniles, illusiones sensuum, & phantasiæ pro veritatibus haberi. Quumque opiniones istæ falsæ, apud diversas nationes, & diversa loca, diversæ regnent; inde videre est nasci nationum odia, & bella æterna,

Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus.
Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum
Odiit uterque locus .... (a).

Quoniam vero in his præjudiciis nascuntur homines, & educantur, pauci inde proveniunt, qui, de iis dubitare sciant, & errores suos pernoscere. Sunt præterea talia hujusmodi præjudicia, maxime si Religionem spectant, ut scientias ferme omnes fœdent: quandoquidem religio res est, quæ cum ceteris omnibus arctissime conjuncta est. Sed operæ pretium est hac de re paulo distinctius commentari.

§. VII.

Mentem nostram omnium rerum ignaram corpus nostrum subire & superius admonuimus, & tam elt evidens, ut probatione non egeat. Præterea nos in infantia nostra *solam sensationem & perceptionem simplicem*, sine ullo rationis usu, habere, ad rationis vero usum gradatim & pedetentim progredi, & ipsum apertum est. Ergo quæ in infantia discimus, aut sola *sensatione* discimus, ut *calorem & frigus*, *lucem & tenebras*, *dulce & amarum*, atque similia: aut auctoritate *Parentum*, *Magistrorum*, *Populi* ut, plurima quæ ad *honestum*, aut *inhonestum*, *sanctum*, aut *profanum* pertinent. Hæc prius in nobis fuerunt quam ullum rationis usum habere-mus.

(a) *Juvenal. Satyr.* XV.

mus. Ea ergo, postquam adolevimus, ex sapientium præceptis (a) ad incudem rationis sunt revocandam, ne, si falsa fuerint, per totam nos vitam perturbent, omnesque cogitationes nostras atro inficiant colore.

Præterea omnes homines prius vocabula linguæ, in qua nascuntur, discunt, quam vocabulorum potestatem. His vocabulis infantiæ notiones informes & præjudicatas affingunt. Quum adolescunt, eadem verba cum iisdem notionibus usurpant, pueriliterque per totam vitam hallucinantur(b) Ergo vocabula, quæ pueri didicimus, horumque vocabulorum potestatem revocanda, quum possumus, ad examen. Sed quotusquisque tantæ animi attentionis capax esse potest? Paucos videmus huic Canoni parere.

§. VIII.

Videamus præjudicia popularia circa Religionem. Religiones, quæ nunc in Tellure obtinent præcipuæ sunt, I. Gentilis, seu Idololatrarum, II. Mahammedana, III. Christiana. Mitto enim alias parum vulgatas. Hæ religiones ita comparatæ sunt, ut in præcipuis Religionis naturalis capitibus conveniant, nempe in his I. Deum esse Mentem quamdam æternam, incorpoream, sapientissimam, potentissimam, optimam, eumque esse unum *totum animum*, *totum animi*, reliquos esse aut Dæmones, aut homines, aut Dei, ejusque virtutum simulacra. II. ab eo universum factum esse, & summa sapientia & bonitate gubernari. III. Ab eo sperandam felicitatem, timendam miseriam. IV esse alteram vitam miseram, aut beatam, seu animas humanas esse immortales. In præcipuis etiam Moralis capitibus conveniunt, e. g. I. Deum amandum mente pura, eique supplicandum. II. Non esse aliis faciendum, quod nobis nolumus. III. Indigentibus subveniendum, & in iis, quæ inde fluunt (a) Discrepant autem inter se in plurimis aliis & gravissimis ca-

(a) *Cartesius medit. prima de prima Philosophia.*

(b) *Lockius lib. 3. cap.* 10 §. 4.

(c) *Lege Tull. de nat. Deor. Plinium lib. 1. cap. 7. Pfannerum in syst. theol gent. pur. Heutium in Alnet. lib. 2. & 3. quod ad Gentiles; Relandum de Muhammedanis.*

capitibus,quę recensenda hoc in loco non sunt. Nunc illud dico, si Religiones Idololatrarum,& Muhammedanorum quod ad *substantiam* ipsam spectes, licet illis addi multa possint ex *revelatione*, at pauca tamen sunt, quæ demere, aut emendare tanquam falsa, possis, pauca dixi: erat enim qui, quod ad *substantiam* nulla esse apud illos errata prædicat. At si apud populum spectentur, quid fœdius? I. Gentiles turbam Deorum *superorum*, *medioxumorum*, *patellarium venerantur*. II, ne summo quid Jove excepto omnes hominum affectiones, & vitia tribuunt. III. Dæmonibus, & Lemuribus omnia plena putant. IV. Depravatas de altera vita habent sententias: hinc *Cerberus trifaux*, *Peryphlegeton* & similia monstra, V. *Garritus avium*, *fulgura*, *auguria*, *omnina*, *portenta*, *ostenta*, *monstra* voluntatem Deorum referre credunt. VI. *Oracula*, *Vates*, *Hariolos* magna reverentia prosequuntur. VII. Moribus lascivissimis & corruptissimis vivunt.

§. IX.

MUhammedani licet unum colant Deum, imagines vero, statuas, Angelos, aut alias res in Deorum numero cum Gentilibus non habeant; tamen infinitis fabellis erroribus Religionem suam fœdant. I. Fato quodam agi universum, cui adversari nefas esse. II. Non licere de religione disputationes ullas habere. III. Genios genitos a quodam Eblifo seu Diabolo, & a Mahammede religionem conversos. IV. Licere *Santonis* suis Domos quas volunt intrandi, & cum quavis concubendi (*a*). V. Omnia esse dæmonis plena. VI. Non licere sue vesci, bibere vinum, similia. VII. Voluptates corporeas, gustum præcipue & tactum afficientes, post hanc vitam adesse (*b*). VIII. Fœminas animantia esse generis alterius, quam viri sint, expertesque futuras *Paradisi* ejus, cujus sint viri participes (*c*): & trecenta alia.

§. X.

(a) *Baumgertenus in itenerario lib.* 2. *cap.* 1.
(b) *Vide Grot. de verit. Relig. Ch. lib.* 6. §. 10.
(c) *Salmon de Imperio Turcico*.

§. X.

DElibavimus quædam ex Gentilismo & Muhammedanismo. Hæc, quæ esse errata, Religio nostra docet, exemplo esse debent, ut ne ex commercio cum imperito vulgo in similia delabamur. Fatendum est enim ingenue, Religionem Christianam; si in Ecclesiæ publicis *Confessionibus*, *Cathechismis*; *hominibus cultis*; præcipue vero in Ecclesiæ *ministris* spectetur, nihil continere nisi *verum*, *& sanctum*: at apud plebejos homines; rusticos, agrestes, uti *mores*, ita *fidei* quoque falsa quædam esse præjudicia: quæ etsi perpetuo Sacri Ecclesiæ administri evellere conantur; tamen aut *consuetudo mala*; aut rustica natura & plebeja renitur, efficitque, ut etiamsi audiant, non tamen exaudiant; aut si exaudiant, relabantur denuo eo, quo ire ceperant; quæ rusticanæ; & phantasticæ naturæ sunt propria, ut observat Malebranchius. Longum esset rusticanas hasce superstitiones enumerare. Theologi nostri morales, qui & *Casuistæ* dicuntur, longam suppeditabunt seriem: Legi ea de re in primis meretur *Tiers* de *superstitione*. Nec hujus popularis superstitionis parva caussa sunt, aut *Gentilium* majorum nostrorum mores etiam per plura secula ad nos demandati; aut eorum libri, in primis Poetæ, quos quum Plato e Republica sua ejecerit, mirum est posse tanto plausu apud nos pueris commendari, & legi. Quidquid ejus sit; Philosophus noster caveat, *ne Religionem a plebe accipiat; aut plebeis notionibus corrumpat: accipiat potius a fontibus Sacrorum librorum, Patrum, gravissimorum Theologorum, publicorum Ecclesiæ Catachismorum*. Nullo enim tempore, & apud nullam nationem plebeì homines recte de Religione judicarunt; aut Magistri esse potuerunt: gravissimum enim illud Christi Servatoris nostri monitum, & totius Christianæ Religionis fundamentum; *SPIRITUS est Deus, & eos qui adorant illum oportet in SPIRITU & VERITATE adorare*, vix intelligit vulgus. Quo circa stulte faciunt ii, qui ex popularibus erroribus toti nomini Christiano invidiam creant: veluti auctor litterarum Judaicarum, qui, quod fortassis inve-

nerit, qui adulterium uxoris libenter pateretur, Christianos scripsit adulterium inter licita habere. Qua in narratione non modo malevolentiam & livorem, sed & imperitiam manifestat. Eodem sunt habendi loco Novatores, qui errores quosdam plebejos circa cultum Imaginum, circa Animarum, aut Angelorum apparitiones toti imputant Ecclesiæ nostræ. Interim quoniam

Dum vitant stulti vitia in contraria currunt,

cavere & illud debet, ne superstitionis popularis timore ad alterum deflectat extremum, & ideis nimis metaphysicis a commercio populi Religionem ad mundum intelligibilem revocet, quod imperite simul, & impie efficere conantur Deistæ: nam Religio naturæ est accomodata humanæ. Itaque illud recolat.

Medium tenuere beati.

§. XI.

SUperest auctoritas Magistrorum. Sunt litterarum magistri varii: alii primis rerum elementis pueros imbuunt, alii vero paullo provectiores in sublimibus disciplinis erudiunt. Utrique plurimum nocere possunt. I. *moribus*. II. *auctoritate dogmatum*. Et primum quidem, quum pueri & adolescentes magna reverentia Magistros colant, fieri nequit quin eorum mores imbibant. Itaque Magistri aut verbosi, aut tardi, aut gloriosi, aut nimis abjecti, aut superbi, aut feri, aut luxu molles, sibi similes faciunt auditores, maxime pueros. Hinc notatum est in sectis veteris Philosophiæ, Heracliticos obscuros fuisse: Pythagoreos impostores, & *alti silentii*: Platonicos graves; Peripateticos molles; Stoicos severos (*a*). Nocent etiam nimia severitate, aut indulgentia: quarum illa stupidos, hæc inertes facit. Præterea primi litterarum magistri puerorum mentem corrumpunt, dum eorum solam excolunt memoriam tanta vocabulorum farragine, ingenium vero & judicium negligunt. Dolenter dico: nihil tam pueris nocet, quam præsens usus, eos in linguis exoticis instruendi: hic enim puerorum conatus igneam ingenii vim, quæ in pueris elucet, retun-

(a) *Adeatur Horn. hist. Phil. lib. 7. cap.* XII. *& seqq.*

tundit atque hebetat: quippe dum totum conatum vertunt in excolenda memoria, ingenium & judicium negligunt. Publicum malum, & cui vix ullum est hodie in Europa remedium. Hinc fieri puto, quamobrem in Græcia plures fuerint uno seculo viri doctissimi, quam pluribus in tota Europa. Græci enim, quum linguas externas discere non congerentur, ab ipsa infantia philosophabantur, nec ingenium usu memoriæ conterebant.

§. XII.

JAm vero Magistri omnes in Dogmatibus disciplinarum plurimum auctoritate sua nocere possunt, dum adolescentes eorum *dictata* accipiunt, & venerantur, atque in eorum verba jurant. Hoc enim modo, vel magistrorum errores mordicus defendunt, & pro iis, tanquam pro *aris & focis*, concertant; vel putantes nihil posse se accuratius & melius Magistris suis reperire, ab omni investigatione cessant. Eam ob caussam Philosophia Peripatetica & errores plurimos per plurima sæcula promovit; & ne latum quidem unguem profecit: quod & nefas putabatur ab Aristotelis auctoritate discedere; & Aristoteles ingenii humani finis habebatur, ut sæpe est a nobis adnotatum. Ob eandem caussam Philosophia Platonica vel in ipsa Christiana Religione hæreses plurimas peperit, quod Plato tanquam Philosophorum Deus aliquis colebatur. Eidem caussæ debetur, quod Cartesiani plures Cartesii errores & fabulas adoptaverint. Infinita sunt errorum exempla ex auctoritate hominum in Rep. litteraria natorum. Nempe ubique gentium sunt ingenia quædam servilia, quæ *credere malunt*, *quam scire*; quæque nullo examine Magistrorum Dogmata excipere parata sunt.

§. XIII.

HIs errorum caussis ut adversum eamus sequentes canones attente sunt servandi.

I. *Si te non rite a parentibus institutum agnoscis, sedulo tui studio conator te purgare, & ita vitam litterariam suscipito; tamquam si heri aut nudius tertius natus sis. Utere amicis perspicacioribus & sinceris, atque ab iis reprehensiones læto excipito animo.*

II. *Cum ignaro vulgo ne versator: præjudicia autem populi*

puli diligenter prescrutator : omnes tuas opiniones ad examen revocato ; de omnibus dubitato , quousque certus non es , non posse te amplius falli . Horatii illud observato .

. . . . . . Denique teipsum
Concute , num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura , aut etiam consuetudo mala . Namque
Neglectis urenda filix innascitur arvis .

Porro ea est imperiti *Vulgi natura* , ut eorum *eventuum* aut *phænomenorum* , quorum caussas *immeditatas* ignorat, *Deum* , qui *mediata* tantum est , *immediatam* . faciat *caussam* . Quæ natura tum continua cum vulgo familiaritate discitur , tum in Poetis , qui *sensus hominum vulgares sectantur* , maxime videtur . In utroque Homeri poemata exempla habes infinita .

Eadem Vulgi *natura* res paullo insolentes , aut raras , aut in genera suo magnas , quæque animos commovere possunt *vehementius* , Deo ἀμέσως tribuit . Hinc apud omnes Nationes *fulmina tributa* Jovi . Hinc in ipsa Hebraica Gente , *Ventus Dei* , *Cedrus Dei* , *Tempestas Dei* , *Grando Dei* & similia , quæ imperite quis , Deo *immediate* dederit , quum ex vulgari sensu dicta sint (*a*). Ea propter Philosophus noster hunc Canonem servabit .

Nihil

(a) *Cavendum tamen est , ne hanc doctrinam æquo nimius provehamus , quemadmodum Auctor Theologico Politicus efficit* . Is enim eodem vult modo veteris testamenti libros vocatos ab Hebræis *Scripturam Dei* , & Spiritum Prophetarum *Spiritum Dei*, & Prophetas viros Dei , & Prophetarum opera , *miracula* , idest *opera Dei* , quo dictum est , *Mons Dei* , *Cedri Dei* , *Ventus Dei* . Qua opinione nihil fingi potest putidius . Nam Hæbrei , quantum ex eorum constat historicis , eos libros vocaverunt *Scripturam Dei* , quos certi erant a Prophetis , idest hominibus θεοπνεύστοις scriptos fuisse . Nec vero Prophetas habuerunt , nisi eos , qui , I. integri essent vitæ scelerisque puri , II. qui veram docerent doctrinam Supremi Dei naturæ & cultui consonam , III. qui indubiis *signis* & *portentis* auctoritatem suam probarent . In quo prophetarum delectu tantum abest ut credulitati indulserit , ut modum

Nihil Deo ἀμίσως tribuito, quod id imperitum vulgus magna faciat consensione: tute potius omnia explorato, atque perpendito: Rerum pluris, quam vulgi, naturam facito.

Sed & illud inter præjudicia aut vulgaria, aut popularia non minimum est, quum quædam non *ratione ulla*, sed publico aut vulgi, aut Scolarum *judicio*, plerumque non satis solido, contemnere assuescimus. Ita vulgus nostrum *Idololatras*, *Muhammedanos*, *Hebreos* in Bestiarum numerum censet: qua ex re fit, ut aut nullam cum iis *juris communionem* esse putet, aut eorum opera omnia negligat, atque derideat. Qui hodie Theologicis studiis operantur paulatim in summum & *Scolasticorum Doctorum*, & *Scholasticæ disputandi methodi* contemtum inducuntur, ut eos ne nominari quidem se coram ferant: in quo ita peccant, ut ii peccabant, qui eos nullo olim judicio sectabantur. Philosophiæ studiosi *Peripateticos* & *Cartesianos* ita oderunt, ut, si iis Peripatetici alicujus, aut Cartesiani quidpiam laudes, statim nares contrahant, quasi ceteri homines, præterquam Nevvtoniani, crudi fuerint lateres: nam & sunt quædam acute a Peripateticis excogitata & a Cartesianis plurima summo judicio scripta, quæ idcircò contemnere, quod Nevvtoniana non sint, est pueriliter desipere: & Nevvtoniani ipsi non quasi ex Deorum concilio aliquo demissi, sed ut homunciones, dormitant aliquando, & naturæ cedunt. Philosophus ergo noster hunc memoriæ canonem insculpat.

Nullius hominis contemnito ingenium: de humanarum mentium cogitatis non ex ullo prejudicio, sed ex ratione judicato: libertatem philosophandi, quæ divina quædam res est, ut ne vis consuetudinis & sæculis secum abripiat, caveto: Nulli æquo nimius credito:

Virtus est medium vitiorum, & utrinque reductum.

Nullius ergo frænum recipito: ECLECTICORUM in morem philosophator; qui semel enim in alterius verba juravit. Liber-

potius excesserint, verosque non raro pro falsis, insectati fuerint Prophetas, Quod Christus servator noster eis improbat *Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.*

Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet æternum, ingenio quia nescit uti.

§. XIV.

HIc postremus canon luculentius explicabitur, si pauca de Eclecticis addemus. Philosophia Eclectica, seu Electiva, ea est, in qua sapientiam *ratione* tantum quærimus: rationem autem regimus *sensuum experimentis & observationibus, intima conscientia, auctoritate circa ea*, quæ nulla alia via a nobis sciri possunt, & *ratiocinatione* atque *conjectura*. In hac ratione philosophandi non quæritur quis quidpiam dixerit, sed quam recte, idest quam rationi conforme. Hanc esse veram philosophandi rationem docet Aristoteles (*a*) & Plato (*b*) & Clemens Alex. (*c*) Hunc in modum philosophati sunt præter laudatos, meliores omnes, Cicero, Hammonius, Plotinus, Origines, Lactantius, Gregorius Thaumaturgus, Augustinus, Cartesius, Malebranchius, Sturmius, Nevvtonus, Lebnitius, Vvolfius, ceterique. Hæc philosophandi ratio vocatur etiam *libertas philosophandi*. Hinc fit ut *sectarii*, idest qui uni sectæ nomen dant, *servum pecus*, nec philosophandi libertatem habeant, nec recte unquam philosophari possint. Audiendus omnino est hoc in loco Lactantius (*d*). *Quare oportet*, inquit, *in ea re maxime, in qua vitæ ratio versatur, sibi quemquam confidere, suoque judicio, ac suis sensibus niti ad investigandam, & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & INAUDITA investigare possent, & AUDITA perpendere. Nec quia nos illi* (majores nostri) *temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt; quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est, tamquam lux & claritas Solis: quia ut sol oculorum sic Sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, idest veritatem quærere, omnibus sit innatum, Sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod*

(a) 1. *Eth. cap.* 4.
(b) *In Gorgia, in Critone, in Charmide & alibi passim.*
(c) *Stromat.* 1. (d) *Lib.* 2. *cap.* 7.

majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur: aut illi desipuerint, quia majores nominantur. Hæc divino quasi furore incitatus Lactantius. Consulantur quæ de libertate philosophandi nos scripsimus in Appendice ad priorem Metaphycæ partem, Dialogo primo. Atque hac admonitione Theologi potissimum uti debent, ut nulli Philosophorum sectæ in verbis Dei interpretandis & docendis adhæreant. *Quid Athenis & Hierosolymis? Quid Academiæ & Ecclesiæ? Quid Hæreticis & Christianis? nostra institutio de porticu Salomonis est*, inquit apposite Tertullianus *de Præscriptionibus*. Quis certe non doleat, repertos esse homines, qui, quum Aristotelis libros nocturna diurnaque manu versassent, Scripturas vero divinas, & cetera Ecclesiæ monumenta ne inspexissent quidem, ausi sint Theologos se appellare? In publica quadam disputatione fuit Theolohiæ Doctor, qui totius quum duceret concertationis agmen, argumentis ex Pauli epistolis ab adversario prolatis respondere non erubuerit, *se Paulum nunquam legisse*: at forte attente Aristotelem versaverat. Sed legant tirones in Theologia aureos Melchioris Cani libros *de Locis*, & viri Clarissimi Constantini Grimaldi epistolam primam ad P. Aletinum. Cavendum tamen est, ne libertate hac abutamur, aut ad omnium contemtum, quem in errorem incidunt adolescentes, dum liberi in philosophando videri volunt; aut ad contemtum divinæ revelationis, qualem licentiam potius quam libertatem Antonius Collinus (*a*) promovere conatus est. Recolendum Horatii illud

In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte. (*b*)

ARTIS

(a) *In libro de libertate cogitandi, qui primum editus est Londini* 1713. *lingua Anglicana, posthac Gallica* 1714. *Londini, &* 1717. *Amstelædami sub inscriptione* discours sur la liberté de penser. *Eum confutarunt in ipsa Anglia Samuel Pycroft, & Richard Bentlejus, & in Germania Jo: Franciscus Buddeus Commentatione de libertate philosophandi Jenæ* 1715.

(b) *Videatur Rudigerus de sensu veri & falsi lib.* 1. *cap.* 5.

ARTIS LOGICOCRITICÆ

LIBER II.

DE IDEIS, IDEARUMQUE OBJECTIS, ET SIGNIS.

Quæ in hoc libro complexi sumus ad quinque summa capita referri possunt. I. de idearum natura & origine. II. de idearum generibus. III. de erroribus, quos idearum occasione admittere possumus. IV. de idearum objectis. V. de idearum signis, seu vocabulis.

CAP. I.

De idearum natura & origine.

§. I.


Ocabulum *idea* græcum est a verbo εἴδω, idest video, & quod antiqui dicebant Latini, *specio*. Latine dicere possis *imaginem*, *speciem*, *simulacrum*. Philosophi vocant ideam, id quod sit menti præsens dum percipit, aut cogitat, quodque semper rei a mente distinctæ, & quidem aut existentis, aut possibilis, imago quædam est. Nimirum res extra nos positas mens nostra sine earum imaginibus quibusdam percipere non potest: neque enim ipsa cum rebus ipsis conjungi potest exeundo de corpore; neque res ipsæ in mentem intrare queunt: omnes igitur res externas ope idearum percipimus.

§. II.

Illud a philosophis disputatur, ideæ sint ipsæ ne *perceptiones*, an vero *imagines* quædam rerum a perceptioni-

bus distinctæ. Ea de re hæ feruntur opiniones. I. Quidam opinantur *ideas & perceptiones* unum idemque esse, perceptiones vero esse motiones organorum sensoriorum & cerebri (*a*). II. Alii arbitrantur perceptiones & ideas unum esse, sed perceptiones esse actiones solius mentis (*b*). Alii vero putant distinguendas esse ideas *materiales*, ab *ideis intellectualibus*; & illas quidem esse impressiones quasdam organorum sensoriorum & cerebri; has vero ipsas perceptiones, quibus impressiones illæ menti exhibentur: adduntque cuilibet ideæ materiali respondere ideam intellectualem, & cuilibet intellectuali materialem (*c*). Scholastici ideam materialem vocabant *impressam speciem*; intellectualem vero *speciem expressam*.

§. III.

PRior opinio animi incorporalitatem, & substantiam evertit: falsa ergo putanda est, quando animum substantiam esse a corpore distinctam demonstratum est (*d*). Altera internis animi ipsius experimentis repugnare videtur: Nam, I. res omnes extra nos positas non percipimus, nisi ope impressionum istarum in sensibus & cerebro factarum: & memoria nostra ab his impressionibus pendet. II. Nullæ perceptiones, & ideæ mentibus nostris obversantur, quin simul eis obversentur vocabula, quibus perceptiones & ideas illas exprimere solemus: *vocabulorum* autem memoria *sensualis* est, seu ab impressionibus cerebri pendet. III. Ipsas incorporearum rerum perceptiones non fieri, nisi excitatis quibusdam in cerebro motibus, intime conscii sumus. Quæ probant ideas nostras non esse ipsas tantum perceptiones. Præterea si ipsæ perceptiones sunt ideæ, duorum alterum dicatur oportet; aut Mentem nostram, quæ caussa est activa suarum perceptionum, ideas sibi creare, rerum ignotarum nempe imagines; quod est absurdum: aut omnes ab externis caussis,

Deo

(a) *Hobbius in Leviathane, & in Logica. Eodem tendit Lokii doctrina si attente expendatur.*
(b) *Ita Arnaldus.*
(c) *Ita Christianus Wolfius post Scholasticos.*
(d) *Vide lib. 1. cap. 1.*

Deo nimirum, vel corporibus, recipere, ipſamque in perceptionibus omnibus *mere paſſive* ſe habere; quod animi naturæ repugnat. Veriſimilior ergo eſt Scholaſticorum & Vvolfii opinio, præcedere in corpore ideas *materiales*, ſequi in mente ideas *intellectuales*, aut ſibi utraſque conjunctas eſſe: nam eas ſemper eſſe conjunctas experimento continuo diſcimus: niſi quis maluerit hoc inter ignota referre.

§. IV.

De idearum origine longior eſt, & difficilior quæſtio. Ea de re quæ feruntur opiniones ſunt hujuſmodi. I. Quidam putant ideas eſſe menti innatas: qui tamen ſibi non conſentiunt: nam alii omnes ideas: alii primorum tantum principiorum notiones innatas eſſe opinantur: & hanc opinionem Platonici & Carteſiani quidam tuentur. II. Alii mentem tali vi præditam faciunt, ut poſitis motionibus ſenſuum & cerebri, ipſa ſibi ideas creet. Ita ſentiunt auctor Artis cogitandi, & Vvolfius, etſi non eadem via atque ratione. III. Alii cenſent Deum ex occaſione motionum corporearum producere in mente ideas earum rerum, quas percipere mentem oportet: ita Carteſius ipſe, & ejus Sectatores plurimi. IV. Alii exiſtimant mentem noſtram Deo uniri κατ' οὐσίαν (*eſſentialiter*), & in Deo, aut Dei lumine omnia videre, quemadmodum Malebranchius. V. Alii tandem ideas a ſenſibus, & a meditatione ſuper ideis ſenſuum, provenire docent, illudque uſurpant, *nihil eſt in intellectu, niſi prius fuerit in ſenſu*. Qui item non ſibi conveniunt. Nam Lucretius vult ex ipſis rebus avolare idola & ſimulcra, atque per ſenſus intrare; Scholaſtici contendunt ideas materiales ſeu *ſpecies impreſſas* ab objectis provenire; hinc ab *intellectu agente ſpiritualizari* & *intellectui paſſivo* præſentari, fierique *ſpecies expreſſas*. Lockius ipſas motiones ſenſuum & cerebri eſſe perceptiones & ideas. Alii vero recentiores philoſophi, licet fateantur omnes ideas a ſenſu & meditatione videri naſci, non dubitant tamen aſſerere, ſe non intelligere qua id ratione fiat: atque iſti *Jove judicant æquo*.

§. V.

QUanquam ſententias iſtas ad examen revocare non ſit hujus loci, placet tamen pauca per ſumma capita delibare. Et primum quidem qui ideas innatas ſtatuunt, ii proculdubio nomine *idearum* non intelligunt impreſſiones in cerebro factas: eſſent enim ideæ iſtæ mutabiles, quemadmodum cerebri ipſius ſtructura mutatur; neque enim idem eſt in infantia, pueritia, virilitate, ſenectute, cerebrum. Præterea ſi omnes ideas, quas mens percipere poteſt, ſtatuant iſti natura in cerebro inſculptas, perridiculi ſunt, qui nobis perſuadere credunt, quod omnem fidem ſuperat. Si autem in animi ipſius ſubſtantia ingenitas ideas iſtas volunt. I. non puto eos idearum nomine intelligere ipſas perceptiones: qui enim, qui ſibi non ſit penitus ignotus, dixerit, omnes perceptiones poſſibiles ſimul in animo exitiſſe ab intio ſuæ exiſtentiæ? Quinimo ne plures quidem ſimul in animis infantium perceptiones eſſe, confidenter dicere poſſumus, ſi obſervemus, infantes vix ſimplici perceptione uti. II. Reſtat ergo ut dicant ideas innatas aut eſſe *inclinationes*, & *leges naturæ*, ut ſic dicam, quibus anima natura ipſa agente erga quædam objecta impellatur: aut neſcio *quas imagines* in ipſa inſculptas, quæ eam ad perceptionem quarundam rerum excitare valeant. Primum nemo unquam negavit. Quis enim in dubium vocaverit, animam noſtram natura ſua ferri ad bonum, abhorrere a malo? At has inclinationes ideas vocare non poſſumus. Sunt enim vires naturæ, quibus Deus creaturas rationales gubernat. Poſterius qui aſſerat, is primum fateatur etiam, ſe non intelligere quid ſint ideæ iſtæ, adeoque ignota loqui: deinde ut illis reſpondeat oportet, qui fatentur animum horum ſigillorum, & notarum inſculptarum capacem non eſſe, quum ſit ſubſtantia non tam incorporea, ſed etiam inextenſa, ut his placet.

§. VI.

DEinde certum eſt, mentem ſibi primas & ſimplices ideas efficere non poſſe, niſi dicere velimus rerum igno-

ignotarum sibi imagines creare posse: quod non tam potest, quam pictor rei, quam ignorat, picturam. Quæ quum sint, licet concedatur notiones compositas posse sibi mentem efficere, plures simplices copulando: aut etiam ex primis, quas aliunde habet, alias conjectura deducere, incredibile tamen restat, sibi etiam primas ideas simplices creare. Qua in re miror Vvolfium, magna confidentia *harmoniam illam præstabilitam* Leibnitii sui, idest *qualitatem occultissimam*, propagasse, eaque simul statuisse, omnium, etiam primarum & simplicium idearum, mentem ipsam sibi causam esse. Est hæc harmonia in hoc posita, ut mens legibus naturæ suæ producat sibi continuata serie omnes perceptiones, quæ respondeant ideis materialibus cerebri, & sensuum; seu sibi representet mundum intelligibilem eo ordine & serie, qua mundus sensibilis sensibus obversatur: & ita quidem sibi representet, ut semper antecedens perceptio rationem sufficientem sequentis continent (*a*). Nam præter quam quod Fato cuidam mens subjicitur, a Spinozistico haud dissimili: sit etiam mens talis, ut sibi ignotarum rerum imagines efficiat. Non inscite ergo vir quidam doctus pronunciat, harmoniam præstabilitam lusum esse ingenii Leibnitiani nulli fundamento hærentem. Quis igitur feret recentiores plures literatos, qui hoc phantasma ambabus vulnis amplexi sunt?

§. VII.

TErtiò, qui putant Deum producere in nobis ideas, ii coguntur fateri. I. Deum producere quoque in nobis ideas earum rerum, ex quibus adversus Dei legem commovemur, adeoque aliud ipsum ut Legislatorem velle, aliud ut naturæ motorem,

Quæ non sana esse non sanus juret Orestes.

Deinde omnem nobis vim percipiendi activam negant, idest omnem animam. Præterquam quod, cur nullas in

 nobis

(a) *Hunc in modum explicatur a Vvolfio ejus systematis præcipuo propugnatore in* Psychologia Rationali, *quo in loco ex instituto ea de re agit.*

nobis Deus ideas excitat rerum quæ ſunt in globo Lunæ, aut Saturni, quas ſcire maxime cupimus? Cur excitat quaſdam ideas, quas non vellemus? Sed peream ſi iſti intelligunt, quid ſit Deum excitare in nobis ideas. An enim intellectiones & perceptiones ſuas animæ communicat? an illa creat? an illam tantum ad cogitandum adjuvat? & qua ratione? Incerta omnia.

§. VIII.

QUarto, qui mentem cum Deo *eſſentialiter* unitam faciunt, I. videant ne Spinoziſmum inducant, unicamque in univerſo mentem & animam omnia permeantem, qui omnia vivant & cogitent, doceant. II. Quales rationes afferre poſſunt, cur alii quædam intelligant, alii non, ita ut fruſtra conentur: quidam hanc, alii diverſam de eadem re ideam habeant? quidem memoria plurimum, alii nihil valeant? denique cur tanta ſit inter cogitationes humanas diſcrepantia, ut plures ſint ſententiæ, quam non capita, ſed capilli? Reſpondent id provenire ex eo, quia Deus leges naturæ & motionum cerebri ſectatur. Quaſi vero & iſta non immediate a Deo pendeant in horum ſyſtemate. III. Cui uſui dicent nobis datos ſenſus? ad uſum vitæ, inquit Malebranchius: nempe ut vitam ſervare ſciamus. Ergo dati ſunt ad uſum ejus ſcientiæ, quæ nobilior eſt, qua ſcilicet vitam regere ſciamus. Ea vero parva certe non eſt. IV. Cur ſenſus non decipere iſti docent, ſi ſenſuum via nihil diſcimus?

§. IX.

QUinto, qui volunt ex rerum ſuperficiebus idola continue avolare, ii concedere debent hæc idola non eſſe corporea: alioquin jamdudum corpora omnia evanuiſſent ab oculis. Deinde cur tot idola, nempe pene infinita, nec inter ſe miſcentur, nec ſe mutuo corrumpunt, quum oporteat ut alia per alia tranſverſim pertranſeant? Sed demus hæc idola a corporibus avolare, qua ratione dicemus hæc a nobis percipi? An perceptiones erunt motiones cerebri ad idolis excitatæ? at motiones iſtæ qua ratione repræſentabunt idola illa?

Quod si perceptiones erunt actiones distinctæ a motionibus cerebri,uti sunt, id ut dicant etiam necesse est, qua ratione idola hæc a nobis percipiantur? Nam asserere ea *spiritualizari ab intellectu agente*, est sine ullo judicio loqui, aut ignota per ignotiora explicare.

§. X.

SExto, qui contendunt motiones sensuum & cerebri esse ideas & perceptiones simul, ii asserere debent, aut motiones istas similes esse rebus, quas representant, aut nihil a nobis certo sciri. Primum manifesto fallum est. Quæ enim motiones cerebri colorem representare possunt? quæ figuras? quæ res alias, quibus similes nullo modo esse possunt? Asserere vero nihil a nobis certo cognosci, hominis est patientia aliorum abutentis. Quæ quum sint, fatebimur ingenue, nos ignorare, qua ratione res extra nos positas percipiamus & quid sint ideæ & perceptiones nostræ. Iterim ne ullum hinc præjudicium pro inquirenda veritate nascatur, putabimus verum, etiamsi forte non sit, omnes ideas nostras partim sensationi, partim & meditationi originem debere. Ex quo hos deducemus canones. *Curato, ut sensuum experimenta, quo plura fieri potest, habeas; ut cum mundo rerum, & hominum, quo fieri potest diutius, verseris; ut acumen mentis augeas; ut ratiocinandi facultatem acquiras: putato fabulas, etiamsi non sint, te posse via idearum innatarum, & luminis malebranchiani sapientiam consequi, ne hæc te ab investigatione remorentur. Revocato ad animum, homines ex solo commercio cum mundo intelligibili evadere fanaticos: ex commercio cum mundo naturæ, & hominum, doctos.*

CAP. II.

De idearum generibus.

§. I.

IDeas ex quatuor adſpectibus contemplari poſſumus: I. Ex earum origine & natura. II. In ſeipſis. III. Ex relatione ad objecta. IV. Et ex ralatione ad Mentem. Primo modo ideæ ſpectatæ, ſunt. I. vel adventitiæ, II. vel factitiæ, III. vel innatæ. Secundo modo ſunt, I. ſimplices, II. vel compoſitæ. Tertio modo ſunt, I. adæquatæ, II. inadequatæ, III. ſingulares, IV. univerſales, V. abſolutæ, VI. relativæ, Quarto tandem modo ſunt, I. claræ, II. obſcuræ, III. diſtinctæ, IV. confuſæ. Quæ paulatim nunc ſunt explicanda.

§. II.

IDeæ adventitiæ ſunt eæ, quas ex ſenſu provenire putamus, quales ſunt ideæ omnes rerum corporearum, quas res ſenſatione percipimus. Ideæ iſtæ omnes ſimplices ſunt. Senſus enim ideas complexas nullo modo deferunt. Ideæ factitiæ ſunt eæ omnes, quas ſibi mens conficit, ſeu conjectura & ratiocinio; ſeu copulando ſimplices; ſeu proportione & ſimilitudine cum iis, quas ſenſus deferunt: ſeu quocumque alio modo. Oportet autem diligenter duo hæc idearum genera diſtinguere: nam primæ naturales ſunt, & ſemper ferme veræ: non item ſecundæ.

§. III.

IDeæ innatæ dicuntur eæ, quæ nec adventitiæ ſunt, nec factitiæ, ſed a Deo menti, quum primum exiſtere incipit, inſculptæ, uti vulgo putatur. Ceterum non eodem modo ideæ iſtæ innatæ apud eorum patronos accipiuntur. Veteres Epicurei & Stoici notiones innatas vocabant, aut quas primum ſenſus deferunt, quum anima adhuc veluti *tabula nuda* eſt; aut quas nullo ſtudio, nulloque labore ipſa univerſi hujus contemplatio defert,

cu-

cujusmodi est secundum Epicurum Dei notio (*a*). Cartesius vero (*b*) ideas innatas sic explicuit. *Non enim*, inquit, *unquam scripsi, vel judicavi, mentem indigere ideis innatis, quæ sint aliquid diversum ab ejus facultate cogitandi. Sed quum adverterem, quasdam in me esse cogitationes, quæ non ab objectis externis, nec a voluntatis meæ determinatione procedebant, sed a sola facultate cogitandi, quæ in me est, ut ideas, quæ sunt istarum cogitationum formæ, ab aliis adventitiis, aut factitiis distinguerem, illas innatas vocavi*. Alii vero esse characteres animo impressos censuisse, scribunt, in primis Malebranchius, & Lockius, qui has ideas hoc sensu acceptas vehementissime confutarunt (*c*). Quibus accedit Andreas Rudigerus, qui anno 1704. dissertationem edidit, *De eo, quod omnes ideæ oriantur a sensione*, in qua Cartesianorum, ut inquit, nugas refutat. Sed fateor ingenue, me nullum Cartesianum, qui commendari mereatur, reperiisse, qui hoc modo ideas innatas explicaret; idest qui diceret, characteres esse menti insculptos. Videant igitur ne Cartesianis imponant, qui ita illos interpretantur.

§. IV.

Ideas simplices vocant philosophi eas, in quibus ne mente quidem plures partes distinguere possumus: compositas vero eas, in quibus plures ideas simplices, quæ distingui & seorsim intelligi possunt, videmus. Ideas simplices partim *sensu*, partim *meditatione* in nobis progigni docent Philosophi. Ad primam classem referuntur omnes sensationes, colorum, sonorum, odorum, saporum, voluptatis, doloris, extensionis, motus, alia-

(a) *Apud Cic. lib.* 1. *de nat. Deor. Legatur & Plutarchus lib.* IV. *de Placit. cap.* XI. *Non recte igitur Hornius* κοινὰς *illas* ἐννοίας, *καὶ* καταληπτικὰς *Stoicorum pro ideis innatis accepit lib.* 1. *hist. Phil. cap.* 2. *pag.* 9.

(b) *Responsione ad art.* XII. *Program. Belgici ann.* 1647.

(c) *Maleb. lib.* 3. *de inq. verit. cap.* 4. *Lockius de intell. hum. lib.* 1. *cap.* 1.

aliarumque rerum. Hæ enim ideæ via sensus habentur, & tales sunt, ut in iis nullas partes distinguere possimus. Ad alteram classem referunt ideas *potentiæ*, *unitatis*, *existentiæ*, *cogitationis*, *voluntatis*, & similes (*a*).

§. V.

IDeæ compositæ nihil sunt aliud, quam associationes variæ idearum simplicium. Qua autem ratione eæ fiant ita explicat Lockius. *Quanquam mens nostra passive tantum se habeat in perceptione omnium idearum simplicium, tamen potis est ita agere, ut ex combinatione idearum simplicium, quæ omnium suarum cogitationum veluti materies sunt, plures ideas sibi constet. Actiones autem mentis, quibus hoc agit, sunt sequentes: I. Plures simplices ideas in unam conflat: hinc ideæ complexæ nascuntur. II. Unam ideam alteri consociat, ut eæ simul percipi possint, etiamsi in unam non coeant. Hinc relativæ ideæ proveniunt. III. Ideas quasdam ab iis separat, quibus erant conjunctæ, quod abstrahere dicitur; unde universales generantur ideæ. Hæ distinctæ mentis actiones ostendunt, quid mens nostra in ideis possit: ostendit præterea hominis operationes in mundo intelligibili* (idest in mundo idearum) *esse easdem atque in mundo Corporeo. Materies nimirum utriusque illius mundi talis est, ut nihil novum ei addi, nihil ex ea in nihilum referri possit hominis opera*. Hæc ille (*b*).

§. VI.

SEd explicandum est clarius, qua ratione associationes istæ idearum fiant. Quantum animo recolere possumus eæ debentur quatuor caussis. I. *Sensationi*, II. *Ratiocinationi*. III. *Phantasiæ*. IV. *Institutioni*. Et primum quidem certum est, nos sensibus quasdam ideas simplices inter se conjunctas percipere, seu uno successive, seu pluribus simul fiat sensibus. Hujusmodi sunt ideæ compositæ *corporis*, *plantæ*, *hominis*, *iridis*, *pugnæ*, & similium rerum. Sunt scilicet associationes simplicium idearum sensatione factæ. Deinde *ratiocinando* plures simul ideas simplices conjungimus, unoque vocabulo appellamus. Ita conficitur idea Dei: ex universi enim contemplatione per-

(a) *Lockius lib. 2. cap. 6. & Clericus in Logica part. pr. cap. 2.* (b) *Lib. 2. cap. 12. §. 1.*

percipimus existere *rem quandam æternam*, *cogitantem*, *potentissimam*, *optimam*. Ratiocinatione quoque series & systemata idearum & scientiarum conficimus. Tertio *phantasia* libere varias idearum associationes efficimus, quales sunt associationes *poetarum*, & *pictorum*, eorumque, qui turres in aere ædificare dicuntur. Tandem *institutione majorum*, vel magistrorum, aut librorum lectione, varias quoque idearum associationes facere solemus, quales sunt opiniones quas aut ex populo, aut ex parentibus, aut ex Magistris & libris haurimus.

§. VII.

QUod vero attente observare debemus, est, quod licet ideæ simplices apud omnes sint eædem, aut simillimæ; ideæ tamen compositæ, ceteræque idearum associationes non apud omnes sunt eædem, aut similes. Primum enim potest quis eidem vocabulo, quo nos quatuor ideas simplices explicamus, quinque, sex, decem addere: Itaque, e. g. notio *Dei* composita non æque ampla est omnibus mentibus. Deinde series & systemata, quæ ex comparatione idearum simplicium nascuntur, & ipsa esse possunt diversa: quippe diversi homines easdem ideas ex diversis adspectibus contemplari possunt. Tertio ideæ omnes phantasticæ, aut abstractæ, & variæ esse solent, & non æque amplæ, quum ob diversam mentium capacitatem, tum etiam ob variam cogitandi libertatem.

§. VIII.

JAm vero si ideæ referuntur ad objecta, primum esse possunt vel adæquatæ, vel inadæquatæ. Primæ sunt quæ exhibent clare & distincte omnes objecti partes, proprietates, notas: Secundæ vero, quæ non omnes exhibent. Quum objecta *idearum phantasticarum* ut plurimum sint ipsæ *ideæ*, ideæ hujusmodi sunt semper adæquatæ, idest semper tantum exhibent, quantum cogitamus, cujusmodi sunt ideæ Geometricarum & Arithmeticarum rerum. At id de compositis sensatione, & ratiocinio, quæ ad objecta externa referuntur, dici nequit; sunt enim omnes inadæquatæ.

§. IX.

§. IX.

De ideis *singularibus* & *universalibus* sic scribit Auctor Artis cogitandi (*a*). *Quamvis quidquid existit singulare sit, nihilominus ope abstractionum varia idearum genera in nobis gignuntur; quarum aliæ unicam tantum rem repræsentant, qualis est idea, quam quisque habet sui ipsius; aliæ plures simul, uti quum quis triangulum concipit, nihil in illo considerans, nisi quod sit figura habens tres lineas totidemque angulos. Idea autem sic formata inservire potest omnibus aliis triangulis concipiendis. Ideæ rem unam repræsentantes, singulares; quæ autem plures, universales, communes, & genericæ dicuntur*. Hæc ille. Quæ autem addit de comprehensione & extensione idearum universalium nullius sunt pretii.

§. X.

Disputatur inter philosophos, an ullæ hujusmodi ideæ universales exsistent? Platonici affirmant: sed negant Lockius, & Vvolfius. Putant enim isti totam idearum universalitatem positam esse in celeri perceptione singularium & similium. Itaque perceptio plurimum hominum dicitur *idea universalis*, & *species*: perceptio plurium animantium diversarum naturarum, & adspectuum, dicitur *idea universalis*, & *genus*. Hinc patet quid sint *genera* & *species* secundum philosophos hujusmodi. Sane ideæ universales simplices ne sunt, an compositæ? Si primum singulares sunt: nequit enim idea simplex plura objecta referre. Si alterum, idea universalis una non est, sed ex pluribus composita. Ideæ igitur universales intelligi non possunt, nisi simul naturæ quædam rerum universales statuantur.

§. XI.

Ideæ *absolutæ* sunt quæ nullam continent cum aliis relationem, ut *hominis*, *corporis*, *prudentiæ*: *Relativæ* autem quæ relationes continent, ut ideæ *Patris*, & *Filii*; *uxoris*, & *viri*: *creatoris*, & *creaturæ*, & similes.

(a) *Parte I. cap. 6.*

les. Non sunt autem ideæ *relativæ* cum ideis *relationum* confundendæ: nam ideæ relationum sunt illæ, quæ repræsentant relationes. E. g. Idea *creatoris* relativa est; idea vero *creationis* est idea *relationis*.

§. XII.

Idea *clara* est quæ ita objectum offert, ut si iterum occurrat, statim agnoscatur: *obscura* vero, quæ objectum ita refert, ut si iterum occurrat, non facile dignoscatur. Ita *Lunæ* quilibet etiam de plebe claram habet ideam, non item *Martis*, *Jovis*, *Saturni*, nisi si assuetudine planetas istas discernere didicit. Ideæ omnes sensationum claræ sunt, cujusmodi sunt *colorum*, *luminis*, *saporum*, *odorum*, & *ceterorum*: *spirituum* vero ideæ obscuræ sunt omnes.

§. XIII.

Idea *distincta* est, quæ non solum rem clare, sed etiam rei præcipuas notas, quibus ab omni alia distinguitur, refert: contra vero si rem clare, notas autem nullo modo referat, confusa est. E. g. idea trianguli est clara & distincta: exhibet enim rem clare, reique notas distincte. At idea *coloris rubri* clara quidem est, sed confusa: coloris enim illius notas nullo modo exhibet. Ex his apparet claritatem, & obscuritatem, distinctionem & confusionem esse affectiones non *idearum*, sed *mentis* & *perceptionum*, quod Lockius animadvertit. Videamus nunc quæ his de rebus observanda sunt Logico.

CAP. III.

Observationes circa naturam & affectiones idearum.

§. I.

Observationes, quas nunc daturi sumus, spectant ideas ex iisdem quatuor adspectibus, de quibus cap. præcedenti §. I. Omnium primum supponemus nullas esse ideas innatas: nam etiam, si sunt, quænam illæ sint, ignoramus. Deinde omnes ideas ex origine

ne sua vocabimus vel adventitias, vel factitias: factitias vero etiam phantasticas, & conjecturales. Adventitiæ tria referunt. I. Quarundem rerum *existentiam*. II. *Et qualitates*. III. *Et relationes*. Primo modo acceptæ omnes sunt veræ: nempe omnibus ideis adventitiis respondent objecta quædam extra nos exsistentia. Itaque hoc sensu ex ideis corporum adventitiis eorum exsistentia probanda est. Nempe quum ex nihilo provenire nequeant; esse debent caussæ, ex quibus proficiscantur, idest corpora ipsa: affirmare enim a Deo eas menti imprimi cum *Idealistis*, est sensuum evidentiam omnem pernegare & fictis hypothesibus omnium hominum patientia abuti. At duobus aliis modis acceptæ ut plurimum sunt falsæ. Nam nec veras externarum rerum qualitates, nec veras relationes semper referunt; quod plurimis exemplis demonstrari posset; Sed legantur quæ lib. 1. de erroribus sensuum cap. 4. disseruimus.

§. II.

IDeæ factitiæ esse possunt aut simplices, aut compositæ. Simplices per abstractionem fieri possunt. Hujusmodi sunt ideæ geometricæ *lineæ*, *superficiei*, aliæ: ex quibus iterum per ratiocinium aliæ deducuntur. Fit autem abstractio, quum ea separatim percipere conamur, quæ natura sua sunt conjuncta. E. g. dum *cubum* aliquem metalli intueor, & tango, nascitur in me idea *entis* cujusdam *extensi*, *solidi*, *figurati*, *colorati*. Hæc idea composita est. At ego sic conari possum, ut solam *extensionem*, solam *soliditatem*, solam *figuram*, solum *colorem* mihi repræsentem. Ideæ *extensionis*, *soliditatis*, *figuræ*, *coloris* hunc in modum formatæ, *abstractæ* sunt. Eodem modo ratiocinio mihi ideam Dei conficio, Entis nempe *æterni*, *sapientissimi*, *potentissimi optimi*; eaque composita est: at per abstractionem creo mihi ideas simplices *æternitatis*, *sapientiæ*, *potentiæ*, *bonitatis*, &c.

§. III.

§. III.

PAſſim peccari ſolet in uſu idearum abſtractarum. Quemadmodum enim iſtæ ſeparatim percipiuntur, ita ſeparata objecta iis reſpondere judicatur. Et quidem ubi non eſt neceſſaria magna attentio ut cognoſcatur ideis abſtractis diſtinctis non reſpondere diſtincta objecta, homines non facile errant: contra vero ſi majore attentione opus ſit. Ita non facile reperias hominem, qui ſibi perſuadeat exiſtere *motum* ſine *re* quæ moveatur, *calorem*, ſine *re calida*, *ſodilitatem* ſine *extenſione*: at multos reperias in hominibus ſantaſticis qui *genera* & *ſpecies* exiſtere credunt, ideſt *naturas quaſdam univerſales* & *communes*; ideis ſcilicet abſtractis objecta ſui generis reſpondere opinantes.

§. IV.

QUa ratione naſcantur ideæ compoſitæ ſuperiori cap. §. 6. explicuimus. Illud ſupereſt ut obſervemus, ex ideis *compoſitis*, ſeu idearum *aſſociatione*, plurimos naſci poſſe errores. Potiſſimus committitur, dum putatur ideas compoſitas *adæquatas* eſſe, ſeu omnes objectorum proprietates referre, quo caſu *eſſentiæ notionales* pro *realibus* habentur; aut dum creditur talia eſſe objecta, qualia ideis aſſociatis repreſentantur. Familiaris eſt hic error Philoſophis, potiſſimum iis, qui per *hypotheſes* philoſophantur. Sunt enim hypotheſes & ſyſtemata *arbitrariæ ut plurimum idearum aſſociationes, quibus res univerſi, earumque cauſſæ, & ordo explicatur*. Quidam philoſophi primum apud mentem ſuam *ſyſtemata* condunt, quam univerſum obſervent: dehinc ex ſyſtematibus illis *cauſſas*, *ordinem*, *fines*, *naturas* rerum univerſi deducunt; quum deberent ex rebus ipſis ſyſtemata deducere, ſi recte philoſophari vellent.

§. V.

ASſociationes iſtæ §. 4. vocari poſſunt *phantaſticæ* & *conjecturales*. Sunt vero etiam plurium errorum cauſſæ aſſociationes, quas ex conſuetudine ab infantia

haurimus: hæ enim longius latiusque per totam vitam grassantur. Quumque viis de iis dubitari sciamus, quandoquidem cum iis adolevimus; sunt nobis plurium ratiocinationum nostrarum principia. Quod si tales associationes cum affectibus aliquibus ab infantia fuerint conjunctæ, tum vero nulla ope dedoceri eas possumus. Infans dum audit insolita quædam vocabula à nutrice pronunciari vultu tetrico, & simul tenebras indicari videt, cum iis vocabulis; atque tenebris ideam nescio cujus rei terribilis conjungit: Quotiescumque ergo vocabula illa audit, aut tenebras videt, excitatur in eo rei cujusdam terribilis idea; simulque timore concutitur; etiam vir factus.

§. VI.

QUum primæ ideæ, quæ mentibus nostris obversentur, sint rerum corporearum, primæ quoque consociationes sunt eæ, quæ fiunt ex ideis corporeis. Ex primis illis ideis nostris regi solemus ad alia entia, cujuscumque generis percipienda: eodem modo omnes alias associationes nostras ad normam primarum conficimus. Res ipsas igitur incorporeas ideis rerum corporearum nobis repræsentare solemus: de illis itaque associationes idearum efficimus, eodem modo ac de corporeis. Hinc nati sunt omnes errores circa substantias incorporeas (*a*). E. g. Nos cogitationes; & vim cogitandi non percipimus, nisi in corpore sensibus quibusdam instructo, & cum corpore & sensibus. Ideæ etiam potentiæ, & libertatis nascuntur ex nostri, aut aliorum hominum, aut

(a) *Atque hinc fit ut passim Cicero in libris de natura Deorum dicat, res incorporeas intelligi omnino non posse; quod difficillimum sit mentem a* corporeis *ad* incorporea *avocare: quod dum ad incorporea intelligenda conamur, phantasia retrahat ad corporea, ex quo & illud est; ut homines, qui quod intelligere nequeunt; esse quoque inficiantur,* incorporea *aut negent, aut in dubium revocent; nec idiotæ tantum, sed, quod mirum est, qui litterati videri volunt, Hobbesius, Spinoza, Tolandus; quum certum sit, ut nos in Metaphysica demonstravimus, esse* corporea *non posse, nisi sint* incorporea.

aut animantium contemplatione, & cum horum naturis sunt conjunctæ. Inde ens, cogitans, potens, liberum, ut *corporeum* nobis repræsentatur. Eam porro ob rem fit, ut omnes alias substantias cogitantes, *Deum ipsum* & *Angelos* non possimus intelligere, nisi ad nostri formam. Itaque Deo & Angelis non veremur omnes virtutes & affectiones humanas tribuere, & de iis non aliter judicare, quam de hominibus; quasi aut eædem, aut similes in illis essent. Quod gravissimorum in Religione errorum caussa esse potest.

§. VII.

SI ideæ spectantur ex relatione ad objecta; quod omnium maxime observare Logicus debet; est, ideas *adequatas* aut nullas esse; aut vix *modorum simplicium* aliquas. Primum enim substantiarum incorporearum inadæquatas habemus ideas; obscuras etiam & confusas. II. Omnium virium activarum, quæ quid sint ignoramus: III. Essentiæ & naturæ corporum: IV. Ordinis & relationum rerum hujus universi: V. Finium rerum. Eam ob rem ex ideis nostris non rite plerumque, nec recte de hujusmodi rebus judicamus. Ea est ratio, ob quam ceteræ disciplinæ methodo geometrica tractari non possunt. Nempe id proprium est in Geometria, ex ideis figurarum omnes earum deducere proprietates: quod feliciter evenit, idcirco quod in his rebus *essentiæ notionales eædem sunt & reales*. At in aliis disciplinis, quum essentiæ *notionales* infinite quasi distent a realibus, quippe quæ sunt ideæ inadequatæ, ut dictum est; non licet ex illis *realium* proprietates Geometrarum methodo derivare.

§. VIII.

CIrca ideas universales observandum est, eas in nobis fieri, eodem modo, quo vocabula evadunt universalia. Nempe ut infantes ad vocabula paulatim ad alia atque alia objecta similia extendunt, eaque faciunt universalia; ita ideas plures paulatim res similes extendunt, faciuntque universales. Accedit inde etiam abstractio,

qua ex ideis *circumstantiæ particulares* quasi resecantur, eæque, ut putatur, *universales* remanent. Ita ex idea hujus hominis dum *circumstantias*, quæ individuum constituunt, resecamus, remanet idea *naturæ humanæ* generica.

Duo autem errores ex hujusmodi ideis nasci possunt. Primus, ut credamus *celeres perceptiones rerum similium* unicam esse & universalem ideam: alter ut ex ideis universalibus nobis persuadeamus & naturas quasdam universales extra nos existere. Hinc natæ portentosæ illæ opiniones. I. *Existere exemplaria quædam æterna universalia extra Deum*. II. *Plurimas esse naturas universales, animalis*, e. g. *hominis*, *plantæ*, *metalli*, *similes*. III. *Unicam esse & individuam in omnibus corporibus materiam, eamque esse indivisibilem*, *& immutabilem*, IV. *Ipsum justum*, *ipsum bonum*, *ipsum pulchrum esse natura sua universalia & æterna*, & sexcenta alia ejusdem originis.

§. IX.

Jam vero ex ideis *relativis* non pauci nasci solent errores, dum aut relationes non percipiuntur, aut non rite accipiuntur. Major pars vocabulorum & idearum relativa sunt. Ita *doctus*, *eruditus*, *perspicax*, *astutus*, *malus*, *bonus*, *dives*, *potens*, *magnus*, *parvus*, *pulcher*, *deformis*, *dulcis*, *amarus*, & infinita alia, ne sim longior, relationem continent *locorum*, *temporum*, *personarum*, *morum*. E. g. qui in barbarie Europæ dicebatur *doctus*, & *perspicax*, nunc audiret *ignarus*, & *stupidus*. Quæ erant *magnæ copiæ* Romuli tempore, nunc essent manipuli. Qui inter barbaros est *humanus*. Italis aut Gallis nunc esset *barbarus*. Quum mores depravati sunt, qui minus est *corruptus*, *probus*, *sanctus*, & *divinus* aliis reputatur. Quæ capacitatem nostram superant, *miracula* appellamus. Hinc vetustæ gentes tamquam Deos habuerunt eos, qui aut literis, aut virtute alias superabant.

§. X.

His generatim observatis, sequentes canones statuendos censemus.

I. *Ideæ simplices ne definiantor: obscurantur enim (a). Definiantor vero quam accuratissime notiones compositæ.*

II. *Ideas phantasticas diligenter perspicito, & ab ideis simplicibus & adventitiis discernito.*

III. *Ne putato ideis phantasticis objecta sui generis respondere.*

IV. *Caveto ab ideis abstractis & universalibus: ex iis de rebus ipsis ne judicato.*

V. *Observato utrum idearum associationes phantasticæ sint, an naturales, & inter utrasque acute distinguito.*

VI. *Ex Systematibus phantasticis ne philosophator: philosophator potius ex experimentis perpetuis, & sensu optimorum communi. Ne ex systematis universum tibi confingas, sed ex universo stude ut systemata nascantur.*

VII. *Nullas ideas putato adæquatas, nisi quum certus es nihil in re superesse, quod ignores: & ex ideis inadæquatis ne temere judicato de* essentiis substantiarum, *de* viribus activis, *de* caussis *&* finibus *rerum.*

VIII. *Conator ideas obscuras, confusas, inadæquatas, studio, experientia, meditatione claras, distinctas, adæquatas efficere. Idcirco operam dato capacitati, perspicacitati, & judicio augendis & formandis.*

IX. *Ne putato te doctum fieri posse ex commercio cum solo mundo intelligibili; sed potius cum mundo* naturæ *&* hominum, *nisi si tu recta in fanatismum ire velis. Contemnito ergo Logicam illam, qua vir quidam doctus (b) gloriatur sine experientia & lectione in mundo intelligibili omnia sciri posse, deque omnibus judicari.*

(a) *Nam si ipsas simplices ideas definire oporteret, nullus esset definiendi finis, nec controversiarum certum ullum statumque fundamentum, uti ipse Sextus Empiricus observat. In Hipot. Pyrrhon.*

(b) *Doria in libro cui titulus, Saggi d'un libro inedito, &c.*

CAP. IV.

Prima & generica divisio objectorum idearum nostrarum, atque sapientiæ humanæ.

§. I.

NEmo a me hoc in loco expectet, ut vocabula quædam consarcinem, quæ *categorias*, & *prædicamenta* Peripatetici vocant, & in quibus explicandis magna Scholasticorum Logicarum pars occupatur. Sunt enim meræ ineptiæ, nec in promovendo sapientiæ studio vel hilum proficiunt. Noxia quoque sunt: nempe, ut perspecte Auctor Artis cogitandi animadvertit, *assuefaciunt adolescentes ad inania vocabula pro sincera scientia acceptanda*. Illa igitur mihi, quoad Elementorum sinunt angustiæ, propositum explicare, quæ sapientiæ humanæ partes, qui fines, quæ studendi rationes & viæ; quæ, ut a ceteris Logicæ Scriptoribus omissa, ita omnium sunt maxime necessaria in Juventute instruenda atque regenda.

§. II.

TOtius sapientiæ humanæ tres partes veteres statuerunt, Rationalem, Naturalem & Moralem. Nulla aptior divisio fieri potest, uti ostendit Lockius (*a*). Prima docet recte ratiocinari. Ea est ars *Logica* & *Critica*. Altera rerum omnium *naturas*, *proprietates*, *caussas*, *fines*, *ordinem*, quoad mens humana capax est, investigat. Tertia inquirit in leges & mores hominum. De studio Philosophiæ rationalis non est ut plura loquamur: satis sunt quæ diximus in prolegomenis. Naturalis igitur & Moralis partes primum per summa capita, dehinc paullo distinctius persequemur. Omnes autem hujusmodi studia *philosophiam* appellamus, & studentes *philosophos*. Quisquis enim aliquid scire studet *Philosophus* est, & studia omnia *Philosophia*.

§. III.

(a) *Lib.* 4. *cap.* 21.

§. III.

NAturalis Philosophia tres continet præcipuas partes, Metaphysicen, Physicen, & Mathesim. Metaphysice de primis & æternis rerum causis; Physice de secundis; Mathematice de lineis & numeris, idest abstractis rebus, differit. Metaphysica in tres alias distribuitur, *Ontologiam*, *Pneumatelogiam*, *Theologiam*. Physica vero dividi hodie solet in *generalem*, & *particularem*; quarum illa continet quæcumque generatim ad corpora, & motum spectant; hæc in particularium rerum corporearum naturas & caussas inquirit. Mathesis dividitur in Geometricam, & Arithmeticam: illa lineas, hæc numeros spectat.

§. IV.

MOralis est vel *theoretiva*, vel *practica*, seu potius *generalis*, & *particularis*. Illa continet *Jus naturæ* & *Gentium*, jus *divinum positivum*, jus *Canonicum Ecclesiasticum*, & jus *Civile*: hæc vero tractationes de *affectibus*, de *virtutibus*, & de *vitiis*. Logici munus est adolescentes instruere, qua ratione ad hæc studia præparandus sit animus. Scio generatim & particulatim plurimos scripsisse de studiorum ordine & regimine. Nos pro munere nostro pauca & meliora seligemus, librosque indigitabimus, ex quibus eadem copiosius disci possint.

CAP. V.

De Studio Metaphysicæ.

§. I.

MEtaphysica, quæ & *prima Philosophia* vocatur ab Aristotele, est ea disciplina *qua & statuuntur causæ & principia prima & generica rerum omnium æternarum, factarum, & possibilium; & de spiritibus atque Deo disputatur*. Ea in tres partes, ut diximus, distribui solet: Prima est Ontologia. In ea agi solet de *Ente* generatim. Ea proprie est *prima & maxime generica Philoso-*

losophia. Ejus muneris est tradere prima & generalia principia, quibus ceteræ disciplinæ omnes inædificentur; primasque rerum omnium causas, in quo a Physica distat, quæ causas immediatas & secundas vestigat. Hanc philosophiæ partem præ ceteris Scholastici coluerunt. Quum autem Philosophi isti magna ex parte judicio destituerentur, utut acutissimi, eam in inanem sophisticem converterunt. Christianus Vvolfius summus Philosophus tomo uno in 4. hanc scientiam complexus est (*a*). Nos in priori metaphysicæ nostræ parte principia *Ontologiæ* (idest scientiæ quæ de universo generatim agit) per summa capita explicuimus. Hæc disciplina meditatione magis *naturæ* quam ulla alia via discitur. Videri possunt quæ scripsimus in citati operis prolegomenis (*b*).

Illud in hujus studio cavendum est, quod sæpius monui, *ne essentiæ notionales pro realibus habeantur*. Quod quum

(a) *Idem vero Philosophus ceteras omnes Metaphysicæ partes luculentissime persecutus est. Nam præter* Ontologiam *tom. 1. in 4. Scripsit &* Cosmologiam *tom. 1. in 4.*: Psychologiam Empiricam *tom. 1. in 4. in qua de natura animi ex ejus phœnomenis differit*: Psychologiam Rationalem *tom. 1. 4. ubi Synthetica Methodo, quæ per analyticam in Empirica detexerat, explicat, præcipue vero Systemata de unione mentis & corporis expendit:* Primam partem Theologiæ Naturalis, *in qua ex mundi phœnomenis de natura Dei agit*; *tom. 1. 5. Hoc opere & rerum varietate, & veritate, & sublimitate valde delector:* Secundam partem Theologiæ Naturalis, *ubi Cartesium imitatus de Deo disputat* a prioribus; *tom. 1. 4. Hoc in opere aliquantulum genio indulxit:* Primam partem Philosophiæ Moralis, *quæ Juris æterni & naturalis principia continet. Atque hæc sunt opera Metaphysica Vvolfii, quæ litteris extant latinis, quæque ad nos devenerunt. In his autem omnibus, præter quædam alia, at illud certe ferendum non est, virum magnum in id unice incubuisse, ut Leibnitium, quantus quantus erat, exprimeret, invita quandoque rerum natura.*

(b) *Ex recentioribus Ontologiam non certe inepte dedit Johannes Clericus.*

quum Spinoza non caviſſet in Ethica ſua, in Pantheiſmum evaſit: ut non melius confutari id poſſit opus, quam detegendo frequentes paralogiſmos, quos auctor admittit, dum ab *eſſentiis notionalibus* nimis confidenter *ad reales argumentatur*, ſeu, ut Scholaſtici loquuntur, *ab ente rationis, ad reale*.

§. II.

Altera Metaphyſicæ pars eſt *Pneumatologia*. Ea diſſerit de Spiritibus. Spiritus autem nomine intelligimus animas humanas, & Angelos quum bonos, tum etiam malos. Itaque hæc pars in duas alias diſtribui poſſet, *Pſychologiam*, & *Demonologiam*, quarum illa, de *animis humanis*, hæc de *Dæmonibus*, ideſt bonis & malis Angelis agat. Et Pſychologiæ ſtudium ex intimo noſtri ſenſu ſuſcipiendum eſt: Etenim animus noſter nemini melius notus eſſe poteſt, quam nobis. Juvat autem obſervare aliorum hominum operationes, quibus animus ſe prodit, harumque operationum obſervationes iis, quæ in nobis obſervamus, addere. Complectitur vero hoc ſtudium res & natura ſua difficiles, & infinitis philoſophorum erroribus implicitas, quales ſunt *incorporalitas*, *immortalitas*, *libertas*, *vires*, *ideæ*, *origo*, *memoria*, *habitus* animorum. Plerique in hoc ſtudio revelatione quoque utuntur. Nec inſcite: Fatendum enim eſt horum plura *ſolo naturæ lumine ſciri non poſſe*. Plures exſtant egregii libri his de rebus ſcripti, quum ex noſtris, tum etiam ex Hæreticis. Ex noſtris Inſtitutiones pneumatologicas dederunt Hamelius in Philoſophia Burgundica, Purchotius, Le Grand, Regis, Claubergius, la Forge, & alii infiniti. Ex Eterodoxis Clericus, Buddeus in philoſophia theoretica, Vvolfius in Pſychologia *Empirica* & *Rationali*, qui prolixe ea de re diſputat, aliique non pauci. Plura quoque de natura animorum ſparſa reperias in Malebranchii libris de inquirenda veritate, & Lockii de Intellectu humano, & Poireti variis.

§. III.

IN hoc studio duo cavenda sunt, *Fanatismus* & *Materialismus*. Sunt duo isti scopuli adeo evitatu difficiles, ut vix reperias metaphysicum, qui in alterutrum non illiserit. Fanatismum voco eam sectam, in qua nimium animæ tribuitur, & omnia quæ cognoscimus, ex *ideis innatis*, *unione cum Deo*, *lumine Dei substantiali*, repetuntur. Materialismum vero eam, in qua nimium anima demittitur, fitque corporis affectio, idest omnis substantia incorporea aufertur. Pertinent ad priorem sectam Malebranchius, Poiretus, etiam Leibnitius & Vvolfius, & quicumque Idealismum profitentur, si ulli sunt, qui sic insaniunt. Ad alteram vero quum veteres Epicurei, tum recentiores Hobbesiani, Epicuri & ipsi de grege porci.

§. IV.

VEniamus ad Theologiam. Ea est disciplina, in qua *de Deo*, *divinisque rebus disseritur*. Id autem fieri potest, faciendumque est, triplici via, *via nempe naturæ*, via *traditionis* & via *librorum divinorum*. Et primum naturæ lumine de Deo ejusque attributis, de orgine mundi & provedentia, de Religione naturali, & præcipuis ejus capitibus, commodissime disputari potest. Hæc Theologia vocatur *naturalis*. De ea optime meriti sunt Beatus Thomas Aquinas prima Summæ parte, & in libris contra Gentes, Suarezius in Metaphysica, Cudvvorthus in systemate intellectuali, Parkerus in disputationibus de Deo & providentia, Clarkius in opere ejusdem inscriptionis, Buddeus de Atheismo & superstitione, Nievventitius de Deo, & quicumque recentiores Atheos oppugnare conati sunt, qui infinito pene sunt numero, & quorum pleraque opuscula collegit Burnet tomis VII. sub titullo *Defensio Religionis* (*a*). In primis autem hanc Theologiam profundissime & copiosissime persequutus est Vvolfius in *Theologia naturali methodo* sci-

(a) *Vide Albertum Fabricium in Bibliotheca Auctorum de religione contra impios.*

ſcientifica pertractata: quod Vvolfii opus omnium maxime facio. Nos in altera Metaphiſicæ noſtræ parte hanc theologiam per ſumma capita tradimus.

§. V.

IN hujus autem ſtudio lente & caute incedendum, nec rationi nimium tribuendum, nec nihil. Nempe natura Dei innoteſcit quidem nobis rationis lumine, ſed per ideas obſcuras, confuſas, inadæquatas. Quicumque igitur æquo nimius in his ſtudiis rationi naturali indulgent, non poſſunt non in graviſſimos errores prolabi. In primis autem cavendum eſt, ne de natura Dei ex ideis rerum noſtrarum judicetur, Deoque tribuantur ea, quæ humanæ naturæ conveniunt. Ex hoc enim fonte ridiculi Ethnicorum errores manarunt, quibus omnes humanæ imperfectiones naturæ divinæ tribuebantur. Inde quoque provenit Materialiſmus Spinoziſtarum, qui mundum cum Deo miſcuerunt, Deumque fecerunt immenſum animal ex immenſa cogitatione, & immenſo corpore conflatum. Nullum eſt ſtudium hoc periculoſius, ſi rite inſtitui neſciatur: nam homines parum acutos, quique rationem contemnunt, ſuperſtitioſos: nimium confidentes, impios & Atheos efficit (*a*). Exigit etiam ſtudium hoc mentes ab omnibus affectibus repurgatas: nam qui affectibus agitantur, nec tantæ contemplationi apti ſunt, & hac diſciplina ad libidinem ſuam excuſandam abuti ſolent.

§. VI.

QUum via traditionis theologia conficitur *traditionaria* vocari poteſt. Id autem fit conſulendo quid diverſæ per orbem nationes quum veteres, tum recentiores de Deo ſenſerit, ſentiantque. Nam quanquam Nationum theologia haud dubium abſurdas, ineptaſque; ſententias de Deo & rebus divinis tenet; plurima tamen ſunt

(a) *Legatur liber primus quæſtionum Alnetanarum Huetii.*

sunt quæ Nationes vera docent, & quæ aut naturæ lumine, aut majorum traditione habent, quæque Theologo plurimum prodesse possunt. Ei igitur, qui absolutus theologus futurus est, Theologiæ Gentilis studium inutile non erit. Est autem Gentilis Theologia ex Varronis partitione, triplex, *Poetica*, *Civilis*, & *Philosophica*. Prior est, quæ reperitur in Poetarum carminibus: altera quæ a populo usu consecrata est, quæque haud multum a Poetica differt; nam, ut observat Arnobius, nunquam Poetæ, qui sensa vulgaria sectantur, de Diis scripsissent, quæ populo improbari vidissent. Est hæc theologia corruptissima, ut ipsi Gentiles agnoscebant, hodieque agnoscunt. Sed diligens veritatis investigator etiam ex hac, plurima rei theologicæ utilia expiscabitur (*a*). Philosophica theologia ea est, quam in scholis suis Philosophi docebant, quæ varia est pro sectarum varietate: sed & hæc depravata est Atheismo, ut puto. Philosophi enim ferme omnes & materiæ æternitatem dederunt, & Deo ademerunt libertatem, inducto Fato: Quæ duo Pantheismi Spinozistici sunt capita.

§. VII.

PLures sunt iique optimi libri quum veteres, tum recentes, ex quibus Gentium theologia disci potest. Meliores sunt libri *Nationum*, si qui supersunt. Itaque Græcorum, Latinorumque theologia ex eorum Poetis, Historicis, & Philosophis petenda; nam plerumque nostri ex nimio erga nationes idololatras odio, sententias depravant: augent nempe notiones, aut minuunt, oratorium potius, quam philosophicum in morem. Ægyptiorum vero Chaldæorum, Indorum, tum & Sabæorum, atque Magorum theologiam ex Græcorum, Arabum, & Christianorum libris discedere necesse est: nulla enim eorum ad nos monumenta pervenerunt, si Zoroastris Persici libros

(a) *Quædam enim vera latent in veteri mythologia. Aperte demonstrarunt viri docti, plures Gentilium fabulas res Patriarcharum, aut Hebræorum exprimere: quamquam nolim hæc diduci ad omnia, in quo a multis peccatur, in primis a Bocharto & Huetio viris alioquin eruditissimis.*

bros excipias, quos Thomas Hyde vetustæ linguæ Persicæ callentissimus, superesse a Magis servatos, testatur. Legenda igitur sunt, Oratio ad Gentes Clementis Alexandrini, Eusebii Cæsareensis Præparatio Evangelica. Arnobius, & Lactentius adversus Gentes, Augustini libri XXII. de Civit. Dei, Vossius de Theologia Gentilium, Phannerus in Systemate theologiæ Gentilis purioris; Stanleyus de Philosophia Caldaica, Huetius in Demonstratione Evangelica, & in Quæstionibus Alnetanis, Burnentius in Archeologiis, Thomas Hyde de veterum Persarum Religione. Recentiores Orbis Religiones plurimi persecuti sunt accuratissime. Dignus qui legatur Salmon: ex omnium enim viatorum libris egregia selegit: & clarissime exposuit. Legendus autem est Gallice, Itala enim versio infinitis referta est erroribus.

§. VIII.

SEd moneo tirones, ut magna acribia utantur in investiganda nationum religione ex exterorum libris. Omnes enim ferme, qui de exterorum religione commentantur, turpissime hallucinantur. Id vero provenit, I. quia cum natione illa diuturnam familiaritatem non habuerunt. II. quia a populo, non a peritis religionem illam didicerunt. III. quia de illa ex notionibus religionis propriæ judicarunt. Hinc factum est ut quidam viatores absurdas, aut ineptas exteris opiniones tribuerint, aut popularem superstitionem toti genti affixerint. Primæ post diluvium nationes nulla templa, nullas imagines, nullas statuas Deorum habebant: Deum mente pura & sub Cœlo, idest in magno Naturæ templo, colebant. Paucas etiam ceremonias seu ritus externos habebant (*a*). Hæc religionis forma diu perduravit apud quasdam Asiæ & Africæ gentes. Interim Græci, Romanique, qui templis & idolis undique circumdabantur, quum has gentes primum noverunt, atheismi accusarunt? Eodem modo priorum Christianismi sæculorum Gen-

(a) *Aperte id de Persis scribit Herodotus: de aliis ex ipsis Sacris libris discimus.*

Gentiles cum Christianis egerunt eosque Atheos vocarunt, quod Nullos DEOS; nulla TEMPLA, nulla SACRIFICIA haberent (*a*). Jam vero popularis Gentilium opinio, in templo Hierosolymitano caput Arietis adorari a Judæis, quam falsa (*b*)? Quam solemnia mentitur de Judæis Juvenalis (*c*)?

Quidam sortiti metuentem Sabbata Patrem,
Nihil præter nubes & Cœli lumen adorant.

Ex his alios metitor. *Igitur ne facile historicis credito, dum exteras explicant religiones.*

§. IX.

QUæ ex libris Sacris ducitur theologia, *revelata* dicitur; Sunt enim libri illi theopneusti, seu divinitus inspirati. Quamquam libros divinitus inspiratos omnes nationes præseferunt, Gentiles *oracula*, Magi *Libros Zoroastris*, Muhammedani *Al Koran*, aliique alios; facile tamen est demonstrare solos Hæbræos, & Christianos hujusmodi libris donatos esse. Interim quæ observata sunt necessaria circa revelationem divinam dignoscendam, loco suo commodius examinabimus. De theologiæ revelatæ studio instituendo pro suscepto munere pauca addemus: nam qui plura cupit, adire potest Dupinum (*d*) Mabillonium (*e*), Fleurium (*f*); aliosque, qui id ex instituto egerunt.

§. X.

STudium Theologiæ revelatæ *longum est*, & *dificile*, & *periculosum*. *Longum*, quia Theologus nedum *Scripturarum Sanctarum*, & *Ecclesiasticæ historiæ*, *Conciliorum* potissimum, tum & *Patrum doctrinæ* peritus sit oportet; Sed & *germanæ Philosophiæ*, & *Criticæ*, & *Linguarum orientalium*, & *profanæ etiam historiæ*. Ex his enim

(a) *Justin. in Apol. 2. Minutius Felix in Octavio.*
(b) *Tacit. lib. v. histor. Joseph. contra App.*
(c) *Satyr. 14. v. 96.*
(d) *De Studio theologiæ.*
(e) *Schola Mabilloniana, & de Studiis Monasticis*
(f) *De delectu Studiorum.*

enim omnibus ad revelationem interpretandam, confirmandam, & adversus impios defendendam non parum utilitatis haurit. *Difficile* vero, quia res captum nostrum superantes ita tractare debet, ut nec in atheismum proruat; nec in superstitionem; qui sunt duo scopuli in re theologica cavendi. Quae ex re etiam patet *periculosum* esse. Nam si quis aliis disciplinis errat, aut *risum*, aut, quod maximum est, aliorum *iram* incurrere potest: at in theologia revelata error in religionem redundat, atque ex eo miseriam, idest *mortem æternam*, parere potest.

§. XI.

Quicumque ergo huic studio animum intendere vult, primum linguas *Græcam*, & *Hebræam*, *Arabicam* etiam, si commode potest, discat: Ejus ratio est, quod non aliter ad intellectum Autographorum Sacrorum pervenire potest. II. Et *Criticen*: Facit enim utramque paginam *ars Critica* ad veterum quorumvis, Sacrorum potissimum librorum; *genuitatem*, *integritatemque* agnoscendam; III. Et *Chronologiam* atque *Historiam universalem*; sine quibus res Hebræorum intelligi vix possunt. IV. Et *mores* atque *Instituta* Reip. Hebraicæ. V. Et *historiam Ecclesiasticam*, ex qua attente curet ut expiscetur Ecclesiasticarum rerum *origines*, *fata*, & *progressum* dogmatum, aliarumque doctrinarum theologicarum. VI. Optimos, sed paucos libros sibi comparet, & ordine atque studiose legat. VII. Accedat ad hoc studium animo affectibus repurgato, & non partium, sed veri amante. VIII. Conjungat cum hoc studio studium Theologiæ *naturalis & traditionariæ*. Libros autem Theologo quum necessarios, tum utiles, ego ad quinque classes referre soleo. I. Textus Sacros Hebræos, Græcos, Latinos, eorumque *Concordantias*. II. Notatores, & Commentatores. III. Historicos & Criticos. IV. Majora Theologorum opera & opuscula de rebus singularibus selecta. V. Institutiones ad usum & tironum, & Scholarum. Qui autem ex singulis classibus sint optimi, in eorum gratiam, qui in his studiis proficere volunt, ad calcem hujus opu-

opusculi dicetur. Interim legatur Dupinus de studio Theol:, Mabillon. in Schola Monastica, Lamy in Conversat. circa Scientias, Calmetus ad frontem Dictionarii Sacri.

CAP. VI.

De studio Physicæ, & Matheseos.

§. I.

TRes statuo Physicæ partes, *historicam*, *theoreticam*, & *practicam*. Prima & præcipua est *historica*. Ea colligit phænomena rerum omnium naturalium, idest quidquid sensibus observari potest circa corpora quum animata tum etiam inanimata. Physicæ igitur theoreticæ præponenda est cognitio historiæ *lapidum*, *metallorum*, *aliorumque mineralium*, *ignium*, *fontium*, *plantarum*, *herbarumque*, *animantium brutorum*, *hominum*, *meteororum*, *astrorum*, & *omnium* earum rerum, quæ sensibus subesse possunt. In hac autem historia colligenda notanda sunt *loca*, *tempora*, *rerum partes*, *mutationes*, *effectus*, idque diligente studio. Potest hæc historia vel itineribus & experimentis colligi, vel ex libris aliorum hauriri. Prior utilior est: nam ex posteriore decipi possumus; quod scilicet facile fuerit ejus conditoribus quædam omittere, aut ea ex alio adspectu referre. Plurimi extant libri historiæ hujus physicæ quum recentiorum, tum etiam veterum. Ex veteribus hujus generis plurimis supersunt quæ *Aristoteles* de *animantibus* scripsit, Seneca in *questionibus naturalibus*, Plinius de rebus ferme omnibus, Dioscorides de *Planetis*, Galenus, & alii Medici *de homine*, & aliis rebus *rerum rusticarum* Scriptores, aliique. Sed Plinii in plerisque suspecta fides, non enim omnia ipse observavit; & pleraque ex auctoribus sublectæ fidei hausit: Itaque ejus narrationes accurate examinandæ sunt. Ex recentioribus legendi cum primis itinerari *Thevenotii*, *Turnefortii* aliorumque, historia rerum præsentium *Solmoni*, *experimenta* natu-

naturalia Boylæi, *Rhedi*, *Monumenta Academiæ Scientiarum Parisiensis*, *& Londinensis*, *&c.*

§. II.

IN Confesso est Physicæ Studium sine historia naturali ne latum quidem unguem procedere posse. Hinc Scholasticorum Physica jacuit per plura secula sterilis ob historiæ potissimum naturæ defectum, ut apposite observat Verulamius, qui omnium maxime & inter primos hoc studium promovit. Quocirca ii mihi disciplinas physicas rite tradere censentur, qui qualibet in re primo loco observationes & experimenta colligunt; inde vero rerum naturas perscrutari pergunt. Hanc sibi methodum proposuit Joannes Clericus in Physica, & omnium maxime Sturmius in *Physica*. Electiva, cujus opus Physicæ studiosi ut continua versent manu, moneo. Sed & eodem modo Physicam suam scripsit Vvolfius Germanice, uti ex parvis *Thumingii* Institutionibus discimus. Præterea Gravetsandius in *Elementis Physicæ Neutonianæ*, & omnium accuratissime Muschembroekius, quum in *Elementis Phisicæ*, quæ Gallice prodierunt, tum in *Latinis* (*a*) ob eamdem rem commendandi sunt plurimum. Sed rerum mathematicarum notitia juvenes horum lectores instructi sint oportet: sunt enim illi rebus ad has disciplinas pertinentibus referti.

§. III.

IN eo autem magna diligentia opus est, ut ex *physica historia*, *theoretica* rite ducatur. Est autem *Physica theoretica & universalis* ea, in qua generatim de *corpore*, *motu*, *motusque legibus* disputatur. Solent hanc physicam *particulari* præponere: quod non placet quibusdam (*b*). Nascitur enim, inquiunt, theoretica ex historica:

H ergo

(a) *Hæc brevi typis Neapolitanis prodibunt*, *aucta*, *ornataque quum elaboratis viri doctissimi Josephi Orlandi* Notis, & Institutionibus Astronomicis; *tum duabus nostris disputationibus*, De rerum corporearum origine & constitutione, *&* De anima brutorum.

(b) *Clerico*.

ergo historica præponenda. Sane, addunt, ii, qui Physicas theoreticas scripserunt, Rohaltus, Nevvtonus, zGravetzandius, Muschembroechius, aliique, coacti sunt passim naturalem ordinem interrumpere, ut experimenta spargerent, & theorematis suis præponerent. Sed quoniam de *tradenda* Physica agitur; non de *conficienda*, parum id referre puto. Immo Tyrones, qui non ipsi invenire, sed inventa discere debent; ordinatius ducuntur præposita Generali.

§. IV.

PHysicam practicam appello eam; quæ in usum vitæ deducitur, cujus potissima pars est *Medicina*. Sed & Medicinæ duæ partes statui possunt *theoretica una*; *practica altera*. Illa naturas rerum viresque vestigat; tum & hominis potissimum partes, morbos, morborumque causas: hæc rebus utitur ut morbis medeatur. Utraque semper difficillima visa est. Nam prior incerta est: latent enim rerum naturæ, vires, partes, morborumque causæ. Ex quo sequitur ut & posterior sit incerta, magna saltem ex parte. Qui enim nec morbum certo noscit, nec medicamentorum vires exacte metiri potest; is haud dubium mederi cum certitudine non potest. Medicorum meliores id non diffitentur: itaque nunc eo redacta est Medicina, ut compositiora medicamenta exoleverint, rebusque simplicissimis & paucis utantur Medici. Quinam libri Medico potissimum legendi sint, docebunt Medici. Mihi tria videntur Medicinæ studiosis commendanda esse. I. Historiæ naturalis improbum studium. II. Anatomiæ peritia. III. Sedulum & diuturnum rerum corporumque humanorum experimentum. Cavendus igitur Medicus, qui tres has dotes non habeat.

§. V.

MAthefeos Studium & Physicæ necessarium est, & vitæ atque societati hominum. Mathesis est vel *Geometrica*, vel *Arithmetica*. Illa lineis, hæc numeris regitur. Ejus usus est, I. ut mentem ad recte ratiocinandum *capaciorem*, & *aptiorem* efficiat, II. ut demonstran-

ſtrandis *theorematis phyſicis* inſerviat, III. ut *artes mechanicas* promoveat. Sane ſine Matheſeos ſtudio homines alioquin multijugæ lectionis & meditationis *inertes* ſunt, & *confuſi*: *perſpicaciſſimi* vero, & *perſpicui*, qui mathematicis ſunt innutriti. Deinde theoremata *Staticæ*, *Hydroſtaticæ*, *Nauticæ*, *Opticæ*; *Dioptricæ*, *Catoptricæ*, *Aſtronomiæ*, uſu Geometriæ, & Trinogometriæ facillime demonſtrantur & intelliguntur. Tandem artes plures mechanicæ & vitæ utiles, ut *Ars perſpicillorum*, *Ars horologiorum*; *Nautica*, *Architectonica*, *Agrimenſoria*, *Bellica* ex Matheſi plurimam utilitatem accipiunt.

§. VI.

Controverſum eſt inter doctos, utrum Geometriæ ſtudium ſuſcipiendum ſit Methodo Euclidea; an recentiorum Gallorum. Euclideam plurimi præferunt, tamquam menti ad difficillima formandæ aptiorem. Ego ſic cenſeo, tirones elementis Lamy quum Matheſeos Generalis, tum Geometriæ manuducendos; deinde methodo Euclidea ſubagendos: tandem etiam ad Apollonii, & Archimedis, aut aliorum qui ſublimiorem mathematicæ partem excolunt, lectionem inducendos. Libri ad hanc rem apti ſunt Elementa Lamy, Tacqueti, & magnum Matheſeos corpus Chriſtiani Vvolfii. De Studio Matheſeos legatur Vvolfius tom. v. Elementorum Mathematicorum. (*a*).

C A P. VII.

De Studio Ethicæ.

§. I.

Nulla ſunt ſtudia aut magis *neceſſaria*, aut magis *utilia*, aut magis *ſuavia*, aut quæ a viris doctioribus magna cum laude tractata ſint, quam *Ethicæ*. Eſt enim hæc quaſi ceterarum diſciplinarum fructus:

(a) *Adeatur & Epiſtola viri Cl. Joſephi Orlandi de Studiis Phyſicis & Mathematicis ad calcem hujus opuſculi adjecta.*

fine hac ceteræ disciplinæ pondus sunt iners. Veteres quum totam philosophiam agro frugifero comparassent, *Logicam* sæpi & maceriæ circumjectæ, *Physicam* plantis, *Ethicam* fructibus similem esse dixerunt. Continet nempe hæc totam vitæ & hominum societatis rationem. Ad rem Persius Satyra 3.

Discite o miseri & caussas cognoscite rerum,
Quid SUMUS, & quid VICTURI GIGNIMUR, & ORDO
Qui datus, aut METÆ quam mollis flexus & UNDE,
Quis modus ARGENTO, quid fas OPTARE, quid asper
Utile nummus habet. PATRIÆ, CARISQUE PROPINQUIS
Quantum elargiri deceat; QUEM te Deus esse
Jussit, & humana qua parte locatus es in re (a).

§. II.

SEd rite tamen hæc studia instituenda sunt: nam ut recte suscepta vitam & societatem & servant, & beatam efficiunt; ita non recte instituta, perturbant atque evertunt. Ut autem rite instituantur præmittendum est eis. I. Studium *Physicæ*. II. *Metaphysicæ*. III. *Historiæ humanæ*. Nempe ex Physica & Metaphysica discimus, hoc universum esse factum a summa quadam & perfectissima atque potentissima Causa, II. Ab eadem summa ratione & providentia regi. III. Nihil adversus illius voluntatem faciendum. IV. Nihil moliendum adversus universi ordinem, & potissimum vitæ & societatis hominum. V. Ei deberi a Creatura rationali amorem, obsequium, servitutem, præces, quæ nomine religionis veniunt. Pauca enim hæc principia sunt totius moralis fundamenta. Ex his accurate consequentia ad Vitam, Societatem, & Religionem pertinentia deducenda sunt. Historia vero humana ad hoc comparanda est, ut cognoscatur, I. ex sensu communi, quænam natura vetentur, aut præcipiantur; impossibile enim est ut hæc sese non pro-

(a) *Legatur Tullius sub initium libri primi de Officiis, Seneca ep.88. Barbeiracius præf. ad Pufendorfii versionem de Jur. Nat. & Gent.*

prodant in tanta hominum multitudine & varietate. II. Ut observentur inclinationes naturæ humanæ, ex quibus regulæ confici possint pro moribus conformandis. III. Ut variarum Societatum, Morum, Institutorum, & Legum Civilium origo, & progressus intelligatur.

§. III.

ET primum quidem Moralis studium versari debet in cognitione Juris naturæ & gentium. Spectat jus naturæ. I. Deum. II. nosmetipsos. III. alios. Primo ergo quæ Deo debemus, deinde quæ nobismetipsis, tandem quæ aliis, discenda sunt, quæ efficiunt tres Ethicæ partes. I. *Theologiam practicam*. II. *Monasticam*. III. *Politicam*. Hæc scientia acquiri potest etiam sine libris, sola contemplatione naturæ quum universi, tum nostri, idque tam certo quam Geometria, ut demonstrat Lockius (*a*) & Barbeiracius (*b*). Sunt tamen libri quidam his de rebus a viris doctissimis scripti. Et pro tironibus facti sunt Pufendorfii *de officio hominis & Civis*, Buddei *Philosophia practica*, Heinnecii *Philosophia Moralis*, & *Elementa juris Naturæ & Gentium*. Iis autem qui paullo sunt provecti (semper intelligo dum per Ecclesiam liceat) commendari possunt Grotius *de jure belli & pacis*, Seldenus de *jure Naturæ & Gentium juxta disciplinam Hebræorum*, Pufendorfius *de jure Naturæ & Gentium*. Perspecte autem in his libris legenda sunt quæ de juribus Summorum imperantium in Ecclesiam traduntur ex Sectæ suæ præjudiciis.

§. IV.

TUm vero opera danda est Jurisprudentiæ divinæ *positivæ*. Ea discenda est ex Sacrarum Scripturarum lectione, potissimum Novi testamenti. Si quis autem a lectione Scripturarum incipere nolit, is incipiat a Cathechismo Romano, quo nullum librum his de rebus doctiorem habeo. Omnibus certe Theologorum systematibus præferendus est Cathechismus Romanus.

(a) *Lib. 4. cap. 3.*
(b) *Præf. ad Pufendorfii versionem Gallicam.*

Addendi & libri duo de Sermone Domini in Monte beati Augustini. Sunt & plerique alii libri qui aut Decalogum interpretantur, aut Moralem Christianam persequuntur, quos facile Philosophus scire & comparare potest. Ex ipsis Hæreticis Moralem Christianam luculenter exsequuntur & clare Episcopius in *Institut.*, Limborchius lib. v. Theologiæ Christianæ, & Buddeus in Theologia Morali, præcipue 2. part.

§. V.

PRæterea studio juris Canonici incumbendum. Sunt ea de re Institutiones pro tironibus scriptæ a plurimis veluti a Lancellotto, quæ editæ sunt cum Notis Doviati, a Cabassutio, a Fleurio, a Gravina, nuper autem a viro nostro longe erudito Neapolitani Juris Regio professore Josepho Pascali Cyrillo: tum & majora opera, quorum Corpus Juris Canonici Van-Espen præ omnibus erit. Quum autem jus Canonicum constet Conciliorum canonibus, Patrum Sententiis, Romanorum Pontificum rescriptis, qui hanc Scientiam affectat is. I. Historiam ecclesiasticam legere debet. II. Et Conciliorum gesta atque Canones. III. Et patrum opera, saltem veterum & præcipuorum. IV. Et PP. Romanorum quæ extant. Hadendæ sunt collectiones canonum a variis editas, & Commentarii in hos Canones virorum illustrium. Hæc omnia facile Philosophus discet ex Van-Espen, aut aliis.

§. VI.

AD hæc addendum est studium Juris Civilis. Est autem Jus Civile quod non totius generis humani, sed unius tantum Reip., aut Regni, aut Civitatis proprium est. Sed quum in majori Europæ parte vivamus partim Romanis, partim propriis legibus & consuetudinibus; utrumque studium jungendum est, & *Romani juris*, & *proprii*. Jus proprium vix ulla est natio quod collectum non habeat, aut privatis aut publicis collectionibus. Jus Romanum discimus primum ex Collectionibus Justinianeis, aut aliis: deinde ex Institutionibus &

Com-

Commentariis illustrium Jurisconsultorum, quæ omnia passim prostant. Plurima sunt autem Jurisconsulto necessaria. I. Juris naturæ & Gentium Scientia. II. Romani Imperii, Romanarumque antiquitatum historia, sine quibus jus Romanum vix intelligi potest. III. Historia propriæ Reip., ejusque legum. IV. Scientia Theologiæ & juris Canonici, ut sciat Ecclesiam cum Imperio qua ratione conciliari possit, & ne alterius jura lædat, dum alterius æquo nimius promovet. V. Ars Critica: quandoquidem esse Legum interpres debet. VI. Etiam aliarum Rerump. & Regnorum leges, quibus facile æquitas dignosci possit. VII. Ars Oratoria cum omnibus iis quæ hanc aut antecedunt, aut sequuntur: quippe Orator futurus est.

§. VII.

CUm his studiis conjungendum est Studium *virtutum*, *morum*, *affectuum*, *propensionum animi*, & similium. Id autem instituitur partim ex meditatione eorum, quæ in cujusque animo eveniunt; partim ex observatione aliorum: partim etiam ex lectione Historicorum, & librorum, qui a viris doctis his de rebus scripti sunt. Et quod ad libros spectat primo loco legendi sunt qui naturam *affectuum & morum* physice explicant, quales Cartesius *de passionibus animi*, Vvolfius in *Psycologia Empyrica*, Claramontius *de conjectandis animi moribus*, & quæ in Ethicis suis ceteri Philosophi monuerunt. Ex veteribus plurima his de rebus passim disputant Plato, Aristoteles in Moralibus, Theophrastus in Characteribus, Cicero in Tusculanis lib. 4. & 5., Seneca in epistolis, aliique. Secundo vero loco commendandi sunt libri, qui de moribus & virtutibus differunt. Tirones studiose legant *aureos* Ciceronis libros *de officiis*, Beati Ambrosii opus ejusdem inscriptionis, Epistolas Patrum, Colloquia Erasmi, *Specimina moralia* Nicolii. Qui paullo sunt provecti etiam veteres Tragicos & Comicos, & morales alios libros non gravabuntur legere, Plurima enim in illis egregie dicta sunt & explicata. Addent Homilias Patrum, potissimum Chrisostomi, quæ in hoc genere vere

ſunt aureæ. Non eſt hinc difficile ceteros libros diſcere. Sunt enim his de rebus ſcripti & plurimi & docti, quos, ne ſim longior, omitto. Atque hunc in modum nobiliſſima hæc ſcientia, & unice neceſſaria diſci poteſt; non jam ex ineptiſſimis quibuſdam libris, quos Caſuiſtæ nulla harum rerum ſcientia dictarunt; quique veram moralem labefactarunt, ut ipſi Romani Pontifices graviſſime queruntur.

CAP. VIII.

De vocabulorum natura generatim.

§. I.

MAgna Sapientiæ humanæ pars in hoc poſita eſt, *ut aliorum cogitationes* intelligamus. Quum autem id fiat *vocabulorum* potiſſimum ope, hæc prima ratio eſt, qua Logicus de vocabulorum *natura*, *uſu*, & *interpretatione* jure quodam ſuo differat. Eſt & alia: nempe Logica etiam ad docendum comparatur: quod quum vocabulorum uſu fiat, ut de vocabulis Logicus præcipiat, neceſſe eſt. Accedit tertia: quod nimirum vocabulorum tractatione, quæ ad animi notiones pertinent, clarius explicantur: ſunt enim notiones cum vocabulis quaſi natura conjunctæ & colligatæ. Egerunt ea de re Logici ferme omnes: ſed aut barbarum in modum, & ſine ulla utilitate, ut plerique Scolaſticorum; aut non ſatis appoſite, ſi Lockium, & Clericum (*a*) excipias: quorum tamen prior ſine ulla neceſſitate ad modum prolixus extitit & perturbatus. Nos pauca & meliora eligemus.

§. II.

EX omnibus animantibus ſolus homo multiplici varioque ſermone præditus eſt; idcirco, quod is ſolus ad ſocietatem factus eſt, quæ ſine ſermone ſtare non poteſt. Nam quanquam & cetera animantia ſocietatem quan-

(a) *Lockius toto libro 3. de Intell. hum. Clericus in Arte Crit. part. 2. Sect. 2.*

quandam inter se inire videntur, & vocibus quibusdam se intelligere, nullas tamen habere societatis leges, nullumque proprie dictum sermonem, in confesso est. Hinc soli homini organa ad sermonem accommodata sunt facta. (Quod magnam Dei erga hominem curam & providentiam demonstrat.)

§. III.

DE sermonis origine disputarunt jam olim acerrime Philosophi. Epicurei qui sponte sua homines e Tellure natos censuerunt, in ea fuerunt opinione, homines illos elingues paulatim aut externos sonitus imitatos esse, aut necessitate sese explicandi in quosdam sonos prorupisse, quos deinde *commodo*, & *delectatione* docti auxerint, atque expoliverint. (*a*). Audiendus est Lucretius Epicureorum Patronus.

At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere, & utilitas expressit nomina rerum.
Non alia longe ratione, atque ipsa videtur
Protrahere ad gestus pueros infantia linguæ,
Quum facit ut digito, quæ sint præsentia monstrent.
Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
Rebus, & inde homines didicisse vocabula prima,
Disipere est . . . . . . (*b*)

Si homines e Tellure geniti essent, nihil dici probabilius posset: at quum id falsum sit, frustra se torquet Epicureus ille. Sed data etiam illa hypothesi, argumentum ei facile qui reggeret:

Præterea si non alii quoque vocibus usi
Inter se fuerant, unde insita notities est
Utilitatis? Et unde data est huic prima potestas,
Quid vellent facere ut scirent, animoque viderent?

§. IV.

ALii in ea fuerunt opinione, primos homines suapte natura loquutos, & quidem linguam, cujus vocabula ab

(a) *Vide Diodorum Siculum lib.* 1.

(b) *Lib.* 5. de natura rerum. *Adde Laertium lib.* x. *& Vitruvium de Architect. lib.* 2. *cap.* 1.

ab ipsa rerum natura expressa essent, (*a*) idest linguam *quandam naturalem*. Nec desunt qui putant infantes, si nullo hominum commercio educarentur, hanc linguam loquuturos, quod Psammeticus Ægypti Rex tenebat (*b*). Sed isti mihi desipere videntur. Nullum enim est in ulla lingua vocabulum, si paucas *onomatopias* excipias, quod aut ex ipsa rei natura videatur expressum, aut cum re ipsa necessariam connexionem habere: sunt enim vocabula *Soni articulati*, qui animi conceptus, seu ideas significant, & omnia sunt arbitraria, & *hominum placita*, ut loquitur Arnobius (*c*). Quod si natura nos ad linguam quandam adigeret, & qui sine societate educarentur, loquaces essent; & loquerentur Surdi, quorum lingua non est præpedita; & una esset omnium lingua; quæ nunc non eveniunt. Quam ob rem nullo certo nituntur talo, qui docent Adæ linguam hujus generis fuisse. Ne fingi quidem hæc naturalis lingua potest. Dubitandum igitur non est, quin primi homines a Deo vocabula docti fuerint; alioquin, ut probat Lamy (*d*) nullo modo unquam loquuti essent. Sed ea lingua paucis constabat & simplicissimis vocabulis, quæ duobus illis mortalibus satis essent. Consuetudine tandem aucta est (*e*). Verum quidquid sit de vetusta primorum hominum lingua, de qua ne divinari quidem aliquid possumus; certum, earum linguarum omnium, quæ nunc in usu sunt, arbitraria esse vocabula, & auctoritatem a populorum consuetudine habere.

§. V.

Quoniam ergo vocabula sunt arbitraria (ex §. 4.), hinc sequitur manifesto, non significare *nisi notiones ejus, qui vocabulis utitur*, adeoque dum vocabula interpretantur *non esse referenda ad res ipsas, sed ad notiones loquen-*

(a) *Est Cratyli sententia ad Platonem in Cratylo*.
(b) *Apud Herod. lib.* 2.
(c) *Lib.* 1. *adversus Gentes*.
(d) *Art. de parler*.
(e) *Vide Ricchardum Simon. hist. Critic. veteris test. lib.* 1. *cap.* 14. & 15.

loquentis aut scribentis. Quocirca errant, qui vocabula ex *relatione ad res ipsas* interpretantur, quasi tantum significent, quantum est in rebus, ad quæ indigitanda adhibentur. E. g. Dum quis pronunciat *animus*, ego, qui audio, vocabulum illud referre non debeo ad rem ipsam, putareque tantum significare, quantum est in re illa, quæ *animus* vocatur, sed tantum ad *notiones ejus, qui eo vocabulo usus est*, dum vocabulum interpretari volo. Quicumque hunc canonem non servant, auctores non intelligunt, sed aut *plus*, aut *minus*, aut *diversum*, quam auctor cogitat, intelligunt.

§. VI.

SEquitur secundo, iisdem vocabulis a diversis hominibus non easdem notiones affigi. Nempe eidem vocabulo ut plurimum hic affigit notionem ampliorem, alter arctiorem. E. g. omnes, qui latine loquuntur, adhibent vocabulum Deus ad Mundi opificem explicandum. At quum non omnes æque de Deo cogitent, sed alii aliis perfectius, eidem vocabulo non eandem omnes tribuunt notionem. Præterea res non easdem impræssiones faciunt in omnium animis, nec ex eodem *adspectu* omnibus cernuntur. Eam quoque ob rém fit, ut cum iisdem vocabulis notiones diversæ colligentur. Hinc alter canon conficitur:

Vocabula ne ex propriis notionibus interpretator, sed ex ejus mente, qui iis utitur. Si secus faxis, decipieris. Infinitis erroribus, qui ex auctorum lectione manant, hoc canone obviam itur. Dici enim vix potest, quot ex aliorum libris falsæ sententiæ hauriantur, quotve aliis calumniæ inferantur, dum ex notionibus nostris eorum verba accipimus. Est autem hoc factu difficillimum, idcirco quod ita ab infantia verba accipere assuefacti sumus, & quod subdole notiones nostræ animo occursant, dum aliorum libros legimus. Quocirca non inscite vir quidam doctus pronunciat, tum demum fore ut libri recte intelligantur, quum homines ad eos accedunt animo nullis notionibus imbuto.

§. VII.

§. VII.

QUicumque autem vulgo loquuntur, aut scribunt, duo videntur supponere. I. Quod qui audiunt, aut legunt easdem ideas vocabulis affigant, quas ipsi affigunt. II. Quod vocabula non tam ideas, quam *essentias ipsas reales* significent. V. g. qui pronunciat *Deum*, aut *animam*, & supponit eos, qui audiunt, easdem ideas his vocabulis jungere, quas ipse: & iis vocabulis *Dei* & *animæ* essentias explicuisse. At hæc duo falsa sunt. Nam nec reperies duos, qui de eadem re æquales habeant notiones; nec vocabula *rerum essentias* explicare possunt, quæ homines omnes latent. Quamobrem ab his duobus præjudiciis cavendum est Philosopho.

§. VIII.

POsterius tamen præjudicium difficillime vitatur; quandoquidem consuetudine ipsa vitæ ab infantia usque confirmatum est. Hinc videre est Philosophos ipsos in ridiculos errores eam ob rem lapsos. E. g. Quæsiti quidam quid esset *homo*, responderunt, *animal rationale*, iisque duobus vocabulis hominis *essentiam* se complexos putarunt. Alii interrogati quid sint *Angeli*, responderunt *Spiritus*, eoque vocabulo Angeli naturam explicuisse crediderunt. Atque vulgo ita loquimur ut vocabulis quibusdam *Dei*, *spiritum*, *animæ*, *herbarum*, *plantarum*, *mineralium* integras naturas explicare credamus, & ex ea opinione inde operationes nostras dirigamus erremusque turpissime. Servet igitur hoc monitum Philosophus noster: *Quoniam rerum essentiæ latent, caveto ne putes, quibusvis, & quotvis vocabulis, essentias reales aut intelligere, aut explicare posse.*

CA-

C A P. IX.

De vocabulis idearum simplicium, & notionum compositarum.

§. I.

Longum est discrimen inter vocabula *idearum simplicium*, & *notionum compositarum*, ut longe inter se *notiones compositæ*, & *simplices ideæ* differunt. I. Illorum enim ideæ pro realibus haberi possunt, non horum. II. Ideæ simplices magna ex parte adventitiæ sunt: notiones vero compositæ factitiæ. III. Vocabula idearum simplicium ut plurimum clarissima sunt; non secus atque ideæ ipsæ simplices: vocabula vero notionum compositarum ut plurimum sunt obscura, quod obscuræ sint maxima ex parte notiones compositæ. Qua ex re sequitur ut ex vocabulis simplicibus non tam facile quis decipiatur, dum alterum interpretatur; at decipimur facillime, & sæpissime in vocabulorum notionum compositarum interpretatione. Eam ob rem recte præcipiunt Logici, *Ideas simplices*, *simpliciumque idearum vocabula definiri non posse*: nulla scilicet sunt clariora: *definienda tamen esse vocabula notionum compositarum*: quandoquidem id per ideas simplices fieri potest. E.g. Si quis ignorat *colores*, nullis verbis ei colorum ideas communicare possum. At si quis *Iridem* nunquam viderit, possum illi eam ope idearum simplicium *figuræ*, *colorumque* definire.

§. II.

Sed sunt tamen vocabula simplicium idearum, quæ sensationes nostras spectant, magna ex parte *confusa*, licet forte *clara*. Exemplis rem illustrabimus. Vocabula *colorum* quibusdam sensationibus ex certis objectis manantibus aptata sunt. Eodem modo vocabula, quæ aliorum sensuum sensationes explicant, ut *suavis sonus*, *gravis*, *acutus*; *odor gratus*; *sapor amarus*, *acidus*, *dulcis*;

cis; *superficies aspera*; vel *lenis*; *voluptas*, vel *dolor*, & similia. Quoniam autem hominum corpora non sunt eadem in omnibus, & objecta externa impressiones suas in hominum corporibus faciunt diversas, pro diversa corporum temperie; nos certi non sumus, ab iisdem objectis eodem modo affici omnes: adeoque intelligere plane non possumus, an iisdem harum sensationum vocabulis easdem sensationes cuncti homines designent.

§. III.

PRæterea quum sensationes, *suas* habeant *intensitates*, & *remissiones*, licet vocabulorum ope *generatim* intelligamus hujusmodi impressiones, *exacte* tamen non intelligimus. Hoc sensu vocabula colorum, saporum, odorum, voluptatum, dolorum confusa sunt. Nec ullo modo hæc confusio auferri potest. Nempe ego alterius sensationes non alia ratione intelligo, quam ex meis: nisi enim colores unquam, sapores, odores sensissem, intelligere non possem, quid alter sibi vellet vocabulis *viridis*, *rubri*, *dulcis*, & similibus. Jam quum intensitates harum sensationum non sint eædem in omnibus, ex meis alterius intensitates nunquam plene intelligam. Ut huic incommodo mederentur homines repererunt *adverbia*. Nec dubitandum est, quin adverbiis *multum*, *parum*, *mediocriter* confusio illa aliqua ex parte auferatur. Sed tota auferri nequit: nam & ipsa *multum*, *parum*, *mediocriter* gradus suos habent, quos ex nostris sensationibus tantum dimetiri possumus: & alienas sensationes ex nostris metiri, admodum est periculosum.

§. IV.

QUod si vocabula sensationum ad corporum externorum qualitates referamus, quod vulgus facit, tum vero maxime confusa, & plurimorum errorum causæ sunt. I. Quia nescimus quales sint qualitates corporum, quæ in nos sensationes istas producere valent. Nam quamquam microscopio plurimarum rerum corporearum partes exiguæ, earumque figuræ sunt detectæ: at nec accurate omnes sentiuntur, & qua ratione illæ in

sen-

ſenſus noſtros agant, penitus ignoratur. II. Quia faciles ſumus ob infantiæ præjudicia ad judicandum, in corporibus externis, a quibus ſenſus noſtri agitantur, eſſe qualitates ſimiles ſenſationibus noſtris, veluti ſonos in inſtrumentis muſicis, colores in rebus coloratis, ſapores in rebus ſapidis.

§. V.

EA etiam vocabula idearum ſimplicium, quæ dolorem & voluptatem ſpectant, licet clara ſint, confuſa tamen ſunt. Quum audio, aut lego aliquem ſenſiſſe dolorem, aut voluptatem, generatim quidem quid fuerit intelligo: at quantum doloris, vel voluptatis ſenſerit, non intelligo. Poſſum hanc confuſionem ex parte minuere, ſi ad examen revoco hominis illius quoad dolorem. I. temperiem corporis, II. animum rebus adverſis magis aut minus obfirmatum, III. præſentem ſui ſtatum, dum dolore invaſus eſt, IV. doloris cauſas, ſeu mali magnitudinem, & alias *circumſtantias*, præſertim effectus, qui dolorem, aut voluptatem ſequuntur: Quod ad voluptatem vero. I. boni magnitudinem, II. expectationem, III. repentinam poſſeſſionem, IV. animi & corporis temperiem: V. ſimilium voluptatum uſum, & hujuſmodi alia. Sed non idcirco omnem confuſionem vitare poſſum, ita ut gradus ipſos voluptatis & doloris dimetiri exacte poſſim.

§. VI.

IPſa *perceptionis* & *voluntatis* vocabula confuſa ſunt. I. Perceptiones ſunt aliæ aliis velociores: quum igitur quis dicit ſe aliquid percepiſſe, ignoramus quanta celeritate perceperit. Viri potiſſimum docti dum cogitationes ſuas aliis communicant, facile credunt, ab iis eadem celeritate percipi, qua ipſi eas mente volutant, II. demonſtrationes etiam quædam non eadem claritate ab omnibus percipiuntur: itaque dum quis dicit demonſtrationis vim percepiſſe, non intelligo quanta claritate perceperit. Ad voluntatem ipſam quod ſpectat, habet ea *inclinationis gradus*. Quædam ſunt, quæ quadam neceſſitate

tate volumus, & ad quæ naturæ vi impellimur: alia omnino libera, & indifferentia: quædam etiam, quæ non *efficaciter* volumus, sed veluti perplexe. Nempe prout major vel minor *voluptas*, aut *inquietudo* ad volendum nos impulerit, ita magis aut minus libere ad ea determinamur. Dum ergo dicitur, aliquem *voluisse*, non semper intelligo, qua voluntate.

§. VII.

QUod spectat ad ideas simplices, quæ *obstractione* fiunt, videntur eæ magis *distinctæ*, quam quæ *sensatione* habentur. In hunc censum venire solent ideæ. I. *Existentiæ*. II. *Extensionis puræ*. III. *Temporis*. IV. *Æternitatis*. V. *Immensitatis*, & similes. Sed & inter ideas abstractas refert Sanctus Augustinus *Dei notionem*: eam enim conficimus trascendendo omnia corpora, finita, & imperfecta, ipsamque mentem incorpoream, infinitam, perfectissimam quomodocumque attingendo. Sed cum hæc notio non sit simplex, licet in hoc sit clara, quod spectat existentiam *Principii primi universorum*; at quod spectat hujus *Causæ*, idest Dei, *naturam*, obscura est, inadequata & confusa, ut docti omnes fatentur (*a*). Quis enim sibi *claram*, *distinctam*, *adæquatam* rei undequaque *infinitæ* infinitoque intervallo capacitatem intelligentiæ humanæ superantis, notionem sibi confinxerit?

§. VIII.

EA tantum vocabula simplicium idearum clara sunt & distincta, quorum ideæ certis calculis dimetiri possunt, qualia vocabula rerum *Arithemeticarum*, & *Geometricarum*. E. g. nulla esse obscuritas aut confusio potest in quantitatibus numericis, *lineis*, & *figuris*. Quum dico, *bis duo sunt quatuor*, *si æqualibus æqualia demas*, *quæ remanent sunt æqualia*, utor ideis clare & distinctæ definitis, atque idcirco nihil dico, quod non æque ab omnibus intelligatur. Eam ob rem res *geometricæ* & *arithmeticæ* Syntheticum in morem tractari possunt,

(a) *B. Thom. 1. part. qu. 2. art. 1. ad prim.*

ſunt, quum res aliæ aut nullo modo, aut vix in paucis, queant.

§. IX.

NOtiones compoſitæ *claræ* ſunt & *diſtinctæ*, ubi ſimplices, ex quibus conſtant fuerint & ipſæ *claræ* & *diſtinctæ*: ſed vero *obſcuræ* ſunt & *confuſæ*, ſi ſimplices fuerint *obſcuræ* & *confuſæ*. Quum vero ideæ ſimplices, exceptis rebus mathematicis, confuſæ ut plurimum ſint, uti ſupra demonſtratum eſt; efficitur in ceteris rebus, præterquam in mathematicis, notiones compoſitas eſſe confuſas. Ergo & vocabula hujuſmodi notionum. Quocirca in his plene ſe homines non intelligunt. Unde & illud ſequitur, *In his rebus non eſſe temere & mordaciter diſputandum: conandumque eſſe certis terminis, vagas, confuſaſque ideas complecti, &, quoad fieri poteſt exactius, vocabula definire.*

C A P. X.

De vocabulis ſubſtantiarum, & modorum.

§. I.

VOcabulum ſubſtantiæ valde eſt confuſum. Eo Philoſophi intelligunt *primum ſubjectum ejus quod eſt, aut fit, quaſi fulcrum aliquod, & fundamentum* (a). Itaque ſubſtantiam non accipiunt niſi cum relatione ad adjuncta ſubjecti. E. g. corpus dicitur ſubſtantia reſpectu adjunctorum *figuræ, motus, coloris, duritiei &c.* anima appellatur ſubſtantia reſpectu *operationum* & *modificationum* ſuarum, ſaltem in eorum ſententia, qui agnoſcunt eſſe in nobis ſubjectum aliquod cogitationum noſtrarum a corpore diſtinctum, quæ haud dubium vera eſt. Nam ii qui hoc ſubjectum eſſe corpus volunt, vocabulo animæ non ſubſtantiam, ſed operationes, aut facultates quaſdam operandi intelligunt.

I §. II.

(a) *Lockius l.* 1. *c.* 3. & *l.* 2. *c.* 23. §. 1. & 2. *Vide quæ diximus in prima Metaph. part. in Scholio defin.* XXII.

§. II.

Confusum dixi *substantiæ* vocabulum, quod etiamsi certo sciamus esse quædam prima subjecta modorum, quos aut sensu, aut animo percipimus, tamen quæ sint ignoramus. E. g. quale sit subjectum primum corporearum proprietatum *extensionis*, *soliditatis*, *motus*, *figuræ* nescimus. Qualis sit substantia *cogitationum* & *voluntatum*, quis dixerit? In Metaphysica demonstro, prima subjecta, & substantias omnes debere esse incorporea, idque post Phytagoricos: sed substantiarum hujusmodi incorporearum vix confusas ideas habemus. Quinimo si eas *inextensas* cum Cartesianis faciamus, tum vero quid sint penitus ignoramus (*a*).

§. III.

Ne ullam quidem viam Logica subministrat, qua possimus substantiarum *essentias* investigare. Sensus enim, qui *modos* tantum *externos* referunt, esse nequeunt hac in re judices. Conjecturæ omnes rationis hoc tantum efficere possunt, ut esse aliquas demonstrent, sed quales sint non monstrant. Auctoritas hac in re locum non habet. Nam humana rationi quum nitatur, esse nulla potest, ubi ratio silet. Divina vero de substantiis cogitantibus tantum docet, esse eas incorporeas, de ceteris tacet. Quamquam nec eodem sensu hæc substantiarum cogitantium *incorporalitas* a Theologis accipitur, uti docebit Petavius de Angelis, & Huetius in Alnetanis.

§. IV.

Igitur quotiescumque occurrit nomen substantiæ apud veterem aliquem Scriptorem, ante omnia sciamus oportet, illi ignotum fuisse *subjectum* illud, cui qualitates quasdam inesse intelligebat. Ignoratio substantiarum hujusmodi uberrima fuit, estque etiamnum causa, cur quibusdam ignotis subjectis qualitates tribuerentur aut fictæ, aut

(a) *Conferri posset Henricus Morus in Enchiridio tapb.*

aut certe quæ diversis tantum subjectis convenire possunt: vel etiam cur, quæ qualitates unius sunt subjecti, diversis tribuerentur. E. g. quum vocabulum Deus substantiam explicet hominibus ignotam, quot ei fictas qualitates affixerunt Gentiles? Quot ei tribuerunt, quæ hominibus conveniunt? Veluti, *videre*, *audire*, *affectibus agitari*, *reminisci* & similia, quæ sunt hominum propria; & Deo tribui nequeunt, saltem talia, qualia in nobis sunt. Quinimmo ne ipsæ quidem perfectiones mentis nostræ illi tribui possunt: nam licet Deus sit mens *sapientissima*, *liberrima*, *potentissima*, *nostri amantissima*, *scelerum vindex*, at qualis sit ejus *intelligentia*, *potentia*, *libertas*, *amor*, *justitia* ignoramus, erramusque profecto turpissime, si illi hæc ex qualitatibus nostris tribuamus: quum ut Deus a natura nostra, ita Dei qualitatibus nostris infinite distant. Est hoc observatum Arnobio lib. III. (*a*).

I 2 §. V.

(a) Ponam verba Arnobii, ne quis me hæc confinxisse putet. In tertio ergo adversus gentes Arnobius Presbyter sic disserit: *Si nostri animi motum non recusatis audire tantum abest; ut nos Deo corporalia linidmenta tribuamus, ut animorum etiam decora, ipsasque virtutes, quibus eminere vix concessum est paucis, tantæ rei vereamur adscribere. Quis enim Deum dixerit FORTEM, CONSTANTEM, FRUGI, SAPIENTEM? Quis PROBUM? Quis SOBRIUM? quis imo aliquid NOSSE? quis INTELLIGERE? quis PROVIDERE? quis ad fines officiorum certos actionum suarum DECRETA dirigentem? HUMANA sunt hæc bona, oppositione vitiorum existimationem meruerunt habere laudabilem. Quis est autem tam obtusi pectoris, tam bruti, qui humanis bonis Deum esse dicat magnum ... Quidquid de Deo dixeris, quidquid tacita mentis cogitatione conceperis, in humanum transit, & corrumpitur sensum; nec habet PROPRIÆ SIGNIGICATIONIS NOTAM, quod NOSTRIS dicitur VERBIS, atque ad negotia humana compositis. Unus est hominis intellectus de Dei natura certissimus, si scias, & sentias, NIHIL de illo posse MORTALI ORATIONE depromi.*

§. V.

OB eandem ſubſtantiæ ignorationem plerumque qualitates, quæ non ſunt niſi unius ſubjecti, pluribus tribuuntur. E. g. iidem Gentiles, magna ſaltem ex parte, Deos fecerunt alios *bonos*, a quibus bona proveniunt, alios *malos*, a quibus mala (*a*); quod nempe non intelligerent, qui ab eadem natura Dei *bona* & *mala* derivari poſſint. Fuerunt quidam qui quum non poſſent intelligere ab eadem mente corpus vivum fieri, & moveri, duas ſubſtantias animales in homine ſtatuerunt, *Mentem*, principium cogitationum, & *Animam* vitæ & motionum. In confeſſo ergo fit, ex ignoratione ſubſtantiarum, I. *ſubjectis fictas qualitates tribui*. II. *tribui qualitates diverſorum ſubjectorum*. III. *Unius ſubjecti qualitates pluribus tribui*. Quot ſunt in *Phyſica*, *Medicina*, & *Metaphyſica* hujuſmodi errores?

§. VI.

MOdorum duo ſunt genera: alii enim ſunt *phyſici*, alii *morales*. Utrique *ſubſtantiis* adhærere intelliguntur. *Modi phyſici* ſunt *qualitates phyſicæ*, quæ conſiderantur in ſubſtantiis ſeu corporeis, ſeu incorporeis. Subſtantiarum corporearum modi ſunt *motiones*, *figuræ*, *configurationes*, *vires activæ*, ſimilia, quæ ſine ſubſtantiis illis intelligi nequeunt. Modi vero ſubſtantiarum incorporearum intelligentium ſunt *variæ perceptiones*, *voluntates*, *deſideria*. Sunt quidam etiam modi qui in homine ad corpus ſimul & mentem pertinent, quales ſunt *affectus*, in quibus *perceptiones & ſenſus doloris* aut *voluptatis* mentis ſunt & animi; *commotiones* vero hinc productæ, corporis. Præterea alii ſunt modi qui ad animum, corpus noſtrum, & externa alia corpora ſimul pertinent, quales ſunt *lumen*, *colores*, *calor*, *frigus*, *ſoni*, *ſapores*: qua de re legantur, quæ dicta ſunt libro 1. de erroribus ſenſuum.

§. VII.

(a) *Adiſis Plutarchum de Iſide & Oſiride*.

§. VII.

MOdi morales sunt *judicia* aut *opiniones*, *quæ actiones*, aut *substantias intelligentes consequuntur*. Ita actio aliqua dicitur *bona*, *honesta*, *gloriosa*, *virtuosa*; aut *mala*, *turpis*, *audax*, *vitiosa*: dicitur *justa*, aut *injusta*, variisque aliis afficitur judiciis, aut opinionibus. *Modi morales* a Pufendorfio (*a*) vocantur *entia moralia*. Actiones sunt horum modorum *quasi substantiæ*. Origo *entium* & *modorum moralium* est aut *lex*, aut *opinio*. Eæ enim actiones dicuntur *bonæ*, aut *malæ*, *justæ*, aut *injustæ*, *virtuosæ*, aut *vitiosæ*, *honestæ*, aut *turpes*, quæ *legibus*; vel hominum *opinionibus*, & *consuetudini*, conformes sunt, aut difformes.

§. VIII.

MOdorum tandem vocabula modos aut *simplices*, aut *compositos*; aut *abstractos*, aut *concretos* significant. Simplicium modorum vocabula sunt quæ unum tantum modum significant, qualia sunt *extensio*, *figura*, *divisibilitas*, *perceptio*, *motus*. Composita autem plures simul modos complectuntur, veluti *amor*, *odium*, *lux*, *sonus*. Vocabula modorum abstractorum significant *ideam genericam* alicujus modi, veluti idea *figuræ motus*. Vocabula modorum *concretorum* explicant modos prout sunt in ipsis substantiis, non vero prout in idea generica exhibentur, seu modos cum suis subjectis, ut *figuratum*, *coloratum*, *cogitans*.

§. IX.

VIdeamus modo, quæ sint Logico observanda circa vocabula modorum. Primum, vocabula modorum simplicium clarissima esse solent: itaque in iis intelligendis nulla esse potest ambiguitas. Ex. g. Si quis dicat *animam esse extensam*, quid sibi velit facile intelligimus. Eodem modo si quis dicat rem aliquam *moveri*, aut *dividi*, ant ab ea aliam *moveri*, *vel dividi*. Quod ita

 intelli-

(a) *De jure naturæ & Gent. l.* I. *c.* I. *Legatur de his etiam Lockius lib.* I. *cap.* XXII. & XXVIII.

intelligendum est, ut percipiatur quid sit *extensum*, quid sit *moveri*, quid sit *dividi*: nam potest ex aliis caussis obscuritas etiam in his nasci, v. g. quod non semper intelligamus qualem extensionem res aliqua habeat, qua ratione moveatur, vel moveat. Ita ignoramus qua ratione Deus sit immensus, anima sit per corpus diffusa, anima moveat corpus, magnes attrahat ferrum. Eodem in loco haberi possunt vocabula modorum abstractorum. Itaque Geometræ, & Arithmetici, quorum disciplinæ circa modos abstractos *figurarum*, aut *numerorum* versantur, nullam offendunt circa hujusmodi vocabula obscuritatem.

§. X.

At vocabula modorum compositorum ut plurimum obscura sunt & confusa, nec raro in iis interpretandis hallucinamur. Exempla quæ libro primo de *sensationibus* protulimus, id clare demonstrant. Nunc pauca de vocabulis affectum subjungemus (*a*). *Amor* & *Odium* sunt duo affectus, qui in historia humani generis, omnibusque fere omnium Scriptorum libris utramque faciunt paginam. Amor vix potest ita definiri, ut una definitio conveniat omnibus affectibus, qui eo nomine vocantur, propter maximam eorum varietatem. Constat, id quod dicitur amor, oriri ex re quapiam, quæ nobis & voluptatem & varias commotiones creat. Sed is pro rerum, quæ amantur, varietate, varius est. E. g. I amor significat eum affectum, quo masculus fertur in fœminam. In hoc amore observantur, I. Totius sanguinis quidam fervor, & *mollis*, *quæ est medulla*, *flamma*. II. Voluptas animi in aspectu, confabulatione, cogitatione objecti, quod amatur. III. Cupiditas ea potiundi, atque una vitæ transigendæ. IV. Vota, quibus amans optat omnia ei, quem amat, secunda accidere. V. Animus paratus ad alacre, promptum, ac profundum auxilium personæ amatæ præstandum. VI. Letitia, aut dolor, prout persona amata rebus secundis, aut adversis agitur. VII. Egregia de ea opinio sive corporis,

(a) *Observatio est Joann. Clerici in* Arte Crit.

ris, sive animi dotes spectentur. VIII. Animus ad quævis obsequia paratissimus. IX. Varii gradus hujus affectus. Jam autem quis est, qui lecta hac voce *amor*, quomodo omnia illa se habeant accuratissime norit? Itaque fateamur oportet nos non plene assequi narrationes, in quibus hoc vocabulum occurrit: quod quum plerumque sit necessarium ad historiam aliquam intelligendam, aut ad judicium de aliquo, aut ejus factis conficiendum: sequitur nos nec historiam plene intelligere, & in his judiciis errare posse.

§. XI.

II. AMor passim etiam sumitur pro amicitia, quæ intercedit inter viros, qualis fuit inter *Ciceronem* & *Atticum*. Nihil autem est in amicitia, quod non sit in amore antea descripto, si quæ ad voluptatem corpoream pertinent exceperis. Hæc omnia igitur probe noscat oportet eum, qui de quorundam amicitia judicare velit, aut qui ingentes illas laudes, quæ *Amicitiæ* tribui solent a veteribus, potissimum ab Aristotele & Cicerone, velit intelligere.

§. XII.

III. AMor est *parentum* erga *liberos*, & *liberorum* erga *parentes*: qui amor præter omnia, quæ sunt in arctissima amicitia, conjunctionem sanguinis habet qua fit vehementior inter eos amicitia, ita ut parentes liberos, liberi parentes omnibus aliis amicis anteponant. Qui non animadverterint quanta sit conjunctio in hac amicitia, aut qui cœlibes vitam egerunt, non capiunt: cur parentes mortem liberorum tam dure ferant: quippe qui nunquam omnes illas notiones, quas *paternæ amicitiæ* nomen complectitur, attenderunt.

§. XIII.

IV. AMor denique sumitur pro *quavis cupiditate*, ut *amor regni*, *amor pecuniæ &c.* quæ sunt circumlocutiones *ambitionis*, *avaritiæ*, & aliorum affectuum, quibus homines permoti in bonum quoddam, aut

quod bonum videtur feruntur. Eos non aggrediar describere, uti nec odium, cujus natura ex descriptione contrarii facile intelligi potest. De omnibus summatim observandum, eos solum, qui eorum naturam diligenter investigarunt, & varias partes, ut dicam, quibus constant, discriminare didicerunt, assequi posse quæ de illis dicuntur. Studium igitur hujus Ethicæ partis, quæ de affectibus eorumque characteribus agit, summopere est necessarium, ut veteres libri intelligantur, præcipue vero poetæ. Quis igitur Comicum, Tragicum, Epicum poetam, sine hac notitia, recte exposuerit? at videntur passim superciliosi quidam homines confidenter ad libros hujusmodi publice interpretandos adgredi.

§. XIV.

Veniamus ad vocabula modorum moralium: Omnium primum edico ad hæc rite interpretanda duo esse necessaria. I. Summam justi, & honesti peritiam. II. Et peritiam morum, atque opinionum ejus nationis, de cujus rebus igitur. E.g. quum legimus scriptum virum aliquem *bonum* fuisse, aut *magna gloria* affectum, aut *virtutem* aliquam egregie gessisse, examinandum. I. In qua gente hic vixerit. II. Quo tempore. III. Quales erant mores & opinionem ejus gentis, & temporis, IV. Ex qua norma justum, aut injustum, turpe, aut honestum isti definiverint. Nam non eadem ubique honesta sunt, aut turpia. Vir fœnerator non eodem charactere depingebatur apud omnes. In gente Hebræa nefas quidem habebatur fœnerari popularibus suis, at licebat fœnerari extraneis. Apud Romanos usuræ semper licitæ fuerunt. At Græci quidam Philosophi turpes eas, & contra naturam habebant, ut habent & Christiani. Persis licebat Sorores ducere uxores, id incestuosum Græcis habebatur. Mores igitur, instituta, & opiniones Gentis, vel Scriptorum scienda sunt ei, qui hæc velit intelligere. Præterea Philosopho, qui his exemplis in morali uti velit, investigandum est, ex quibus principiis Nationes in has opiniones & judicia de honestate, aut turpitudine devenerint. Non tam enim pondus habet exemplum,

quam

quam exempli ratio. Quod vellem factum *Grotio* & *Puphendorfio*, dum Dogmata Juris naturæ ex nationum consensu probant.

§. XV.

Sed quantacumque sit harum rerum peritia, effici tamen nunquam potest, quin magna obscuritas & confusio offendantur in interpretatione vocabulorum modorum moralium, nempe *officiorum*, *virtutum*, & *vitiorum*. I. Hæc non sunt eadem apud omnes nationes: variant pro morum & institutorum varietate. Itaque erit virtus Athenis, quod vitium Romanis (*a*): *Justitia* Romæ, quæ *sævitia* alibi: *Charitas*, aut *religio* apud Ethnicos, quod *impietas*, aut *superstitio* apud Christianos. II. Variant etiam pro varietate subjectorum. Sic actio non eadem laude, aut vituperio afficietur facta a viro, & a muliere; a puero, & a viro, vel sene; a docto, & ab ignaro; a nobili, & a plebejo; ab homine scelesto & a viro bono. III. Variant pro varietate objectorum: E. g. aliud est auxiliari Parentibus, vel Patriæ, aut eos prodere; aliud extraneis, aut hos prodere: aliud amico injuriam inferre, aliud inimico. IV. Variant pro varietate circumstantiarum aliarum loci, temporis, personarum, mediorum: veluti aliud est viatorem spoliare, aliud templum suppilare: aliud solum scelus aliquod, perpetrare, aliud alios inducere in idem scelus. V. Variant pro varia *intensitate*, V. g. adversa tolerare fortitudo est: sed est hæc virtus major, vel minor prout adversa fortius, aut minus fortiter tollerantur. Eodem modo charitas erga Deum, vel parentes, esse major, aut minor potest. Idem de aliis affectibus quum virtuosis, tum vitiosis. Habent nimirum virtutes & vitia *intensitatis*, aut *remissionis* suæ gradus (*b*) Jam quis potis est hæc omnia in his modis mixtis probe discernere, & dime-

(a) *Vide Nepotem in proemio.*

(b) *Nullus his de rebus accuratius scripsit, quam* Cicero *in vere aureis libris de* Officiis. *Hos adolescentes nocturna, diuturnaque manu conterant.*

dimetiri? Inde provenit in Theologia nostra tanta circa *gravitatem*, aut *levitatem* peccatorum, Theologorum qui *Casuistæ* dicuntur, discordia. Nam præterquam quod pauci eorum fuerunt iis dotibus ornati, quibus hoc examen indiget, res etiam ipsa per se difficillima est.

§. XVI.

PErtinet tandem ad hanc classem vocabulum *Religio*. Ejus vocabuli notio *composita est*, *multiplex*, *varia*, Apud Philosophos Religio est cultus internus unius Dei universi creatoris & gubernatoris cum justa ejus notione. Itaque complectitur. I. *justam Dei notionem*. II. *amorem*. III. *timorem*. IV. *obsequium*. V. *existimationem*. VI. *Invocationem* in adversis. VII. *Gratiarum actionem* in Prosperis, VIII. *externum* harum actionum coram aliis humilemque testificationem. Hæc eadem est Religionis notio in libris Christianorum, in quibus *templum Dei est animus, Sacrificium, amor*, inquit Justinus martyr. At apud Gentiles longe diversa hoc vocabulum sonabat. I. *Animi interiora* non valde curabant Gentiles, si pauculos excipies Philosophos, quorum præceptum erat *Caste ad Deos accedito*. II. Itaque? totam religionem in actibus externis magna ex parte deridiculis, & obscænis collocabant. III. Deo ea tribuebant, quæ ejus totam evertunt naturam, qualia sunt, quæ sunt hominum etiam stultissimorum propria. IV. Religionis partem censebant plurimorum numinum cultum.

CAP. XI.

De vocabulis Relativis.

§. I.

Appellamus vocabula *relativa* omnia illa, quæ eas res significant, quæ *augeri*, aut *minui*, esse *majores* aut *minores* possunt, & quæ interpretanda sunt ex relatione aut *ad semet*, quod ad tempus, vel locum; aut ex relatione ad alias res ejusdem, vel diversi generis; aut tandem ex relatione ad personas. Veniunt igitur in hunc sensum. I. Nomina modorum *corporum*, & qualitatum quæ *intendi* & *remitti* possunt. II. Nomina *sensationum*. III. Nomina *virtutum*. IV. Nomina *vitiorum*. V. Nomina earum *animi qualitatum*, vel etiam *habituum*, qui *esse majores*, aut *minores possunt*. VI. Nomina *actionum verborum*. Illustrabimus hæc exemplis.

§. II.

Quædam sunt *corporum qualitates*, quæ *intendi* & *remitti possunt*, cujusmodi potissimum sunt qualitates sensibiles *calor*, *frigus*, *lumen*, *sonus*, *odor*. In his, ut alibi dictum est, duo sunt distinguenda, corporum *vires quædam*, & *sensationes* a viribus illis in nobis productæ. Utrarumque vocabula, *virium* nempe, seu *qualitatum corporearum*; & *sensationum*, relativa sunt: quia quum vires illæ, tum sensationes, augeri, & minui, majores & minores esse possunt. In his igitur vocabulis interpretandis attente sunt relationes perpendendæ, ut, quoad fieri potest, gradus virium illarum, & sensationum, perspiciantur. Quod contigit ut plurimum in *historia naturali*. I. In historia *regionum*, quorum qualitates naturales describuntur. II. In reliqua historia naturæ, *aquarum*, *plantarum*, *ignium*, *salium*, *ventorum*, *meteororum*, & similium rerum.

§. III.

§. III.

NOmina quoque *virtutum* & *vitiorum* relativa sunt. I. Habent virtutes & vitia suos gradus & intensitates, ut dictum est superiori capite. II. Plerumque eadem nomina virtutum aut vitiorum adhibentur, licet notiones pro temporum aut locorum varietate varient, ita ut quod apud unam notionem dicatur virtus, sit apud aliam vitium (*a*) Ea de re dictum est cap. superiori: addam unum exemplum. Scribit Ælianus (*b*) in Eryce Siciliæ templum Venereis fuisse, quod vocat *νεὼς σεμνὸς καὶ ἅγιος venerandum & Sanctum*. Non aliis Epitetis in Sacris Scripturis Templum Salomonis VERO DEO dicatum describitur. Vocabula sunt eadem: at nisi ex relatione intelligantur, religio cum superstitione fœde miscebitur.

§. IV.

NOmina earum qualitatum aut habituum animi, qui esse majores, aut minores possunt, sunt & ipsa *relativa*, adeoque quum interpretantur ad hujusmodi relationes animus diligenter advertendus est. E. g. *Scientiarum*, & *artium* habitus, *Geometria*, *Astronomia*, *Metaphysica*, *Musica*, *Sculptura*, *Nautica*, *Bellica*, similes, quum paulatim culti fuerint inter mortales, non uni e Cœlo dati post diluvium, fuerunt certe majores, aut minores. I. pro temporum ratione. II. pro ratione locorum. III. pro capacitate discentium. IV. pro exercitatione. Ergo quum legimus aliquem fuisse in *Musica*, in *Astronomia*, in *Nautica*, in *Bellica* peritum. 1. cavendum est ne ex rerum nostrarum ideis ea vocabula accipia-

(a) *Huc pertinet illud Tullii lib.* III. *de Off. Quod potest majus esse scelus, quam non modo hominem, sed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur se adstrinxit scelere, si quis tyrannum occidit, quamvis familiarem? POPULO quidem ROMANO non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat.* At non ita censeret Grotius.

(b) *Variæ hist. lib.* I. *cap.* XV.

piamus, ideſt vocabulis antiquis notiones affigamus novas. 2. curandum ut locorum, temporum, perſonarum etiam ſcriptoris eruditionis rationem habeamus (*a*). E. g. S. Stephanus Protomartyr. in oratione ad Judæos, quam retulit in Actis S. Lucæ, Moſem ait *educatum in ſapientia Ægyptiorum*. Ut hoc rite intelligeretur, ſciendum eſſet quænam fuerit & qualis ſapientia Ægyptiorum tempore Moſis. Quæcumque autem ea fuerit, quod haud dubium ignoramus, ea certe comparari non poteſt cum ſapientia Græcorum ſequiorum, aut cum ea quæ nunc in Europa viget. Nihilo tamen minus Clemens Alexandrinus (*b*) probare conatur Moſem fuiſſe τακτικὸν, στρατηγικὸν, & πολιτικὸν excellentiſſimum ex temporum ſuorum notionibus. Nec deſunt qui eum ſummum *Geometram*, *Aſtronomum*, *Theologum*, *Chimicum*, *Oratorem* ex eo Lucæ loco faciunt (*c*). Eodem modo quum dicitur *Salomon* omnium mortalium doctiſſimus, id intelligendum eſt ex eorum temporum relatione, in quibus vivebat. Similiter quum in hiſtoria veteri legimus, quoſdam fuiſſe aut Oratores eximios, aut artis bellicæ peritiſſimos Duces, aut egregios Muſicos, non eſt ut eos cum noſtris conferamus, aut ex noſtris dimetiamur.

§. V.

NOmina actionum & ipſa ut plurimum relationem continent. Nam & actiones *ſuas* habent *intenſitates*, *&* *remiſſiones*. Itaque Phyſici ſapienter docent, *poten-*

(a) *Cicero lib.* III. *de officiis: nec vero*, inquit, *quum duo Decii, aut Duo Scipiones, fortes viri commemorantur, aut cum Fabricius, Ariſtideſque juſtus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his juſtitiæ, tanquam a SAPIENTIBUS, petitur exemplum. Nemo enim horum ſic ſapiens eſt, ut ſapientem volumus intelligere. Ne ii qui ſapientes habiti ſunt & nominati M. Cato. & C. Celius, ſapientes fuerunt. Ne illi quidem ſeptem: ſed ex MEDIORUM officiorum frequentia SIMILITUDINEM quandam gerebant SPECIEMQUE ſapientum.*

(b) *Lib.* I. *Stromat.*

(c) *Legatur Georgius Serpilius in* Perſonalibus Moſis *cap.* 8.

potentiarum, *& actionum intensitates* absolute dimetiri non posse, *sed relative*. Ex. g. vocabula *velox*, *tardus* actiones significant, quæ quantæ sint non nisi ex relatione aut ad tempus, aut ad spatium, aut ad alias res, quæ agunt, vel moventur, sciri potest. Actiones verborum *amare*, *odisse*, *legere*, *verberare*, *loqui*, *pugnare*, & infinita alia, suas habent *intensitates*, quas quum ex aliis circumstantiis, tum ex *relatione* potissimum investigare debemus.

§. VI.

PRæterea actiones verborum suos habent modos, quos *adverbiis* explicare solent qui scribunt aut loquuntur, v. g. *ardenter amare*, *attente legere*, *diserte loqui*, *fortiter pugnare*. Sed nulla alia vocabula tam sunt relativa, quam ea, quæ *adverbia* dicuntur: Illa enim *fortiter*, *diserte*, *attente*, *ardenter* & suos habent intensitatis gradus, qui ex aliis circumstantiis, & potissimum ex *relatione* personarum, & ex *effectibus* dignoscendi sunt.

§. VII.

COncludamus verbis Ciceronis (*a*). *Rerum natura* nullam nobis dedit agnitionem finium, ut ulla in re statuere possimus *quatenus*. Nulla omnino in re minutatim interroganti, dives, pauper; clarus, obscurus; multa, pauca; magna, parva; longa, brevia; lata, angusta; quanto aut addito, aut demto, certum respondeamus non *habemus*. Qua ex re sequitur ut judicia, quæ his de rebus fiunt, nequeunt esse geometricos exacta: quum enim *ideæ* certis limitibus definiri nequeunt, nec judicia esse certa possunt. Qui ergo ea pro certis habet, is etiam dicere potest repetiisse proportionem inter *incommensurabilia*, aut *mediam* proportionalem inter duas lineas A, B, utramque *indeterminatam*. *Diligentissime ergo rerum & vocabulorum relationes perspicito, & discerne*, & de *relativis noli temere & confidenter judicare*.

CAP.

(a) *Academ. Qq. lib. 4. Legatur & Sextus Empir. Pyrrh. Hypoth. 1.*

CAP. XII.

De vocabulis notionum abstractarum.

§. I.

NOmina notionum abstractarum fere sunt *Substantiva* formata ex *adjectivis*. Sic a *divinus* fit *divinitas*, ab humanus *humanitas*, a *sanctus sanctitas &c.* Ea significant non *subjecta ipsa realia*, sed notiones quasdam a subjectis illis abstractas, & naturas, quas, velut a subjectis separatas, mens sibi representat. Quum autem quæ & æquales sint hujusmodi *naturæ abstractæ* ignoretur; fit ut hæc si non ad ideas, sed ad *has naturas* ut quidam fecerunt scholastici, referantur, omnium sint obscurissima & confusissima. Nihilo tamen secius omnes ferme disciplinæ hujusmodi vocabulis sunt refertæ, opera maxime Scholasticorum, qui nec cogitare, nec loqui, nisi de rebus abstractis didicerant. Hinc in ipsum familiarem sermonem magno numero irrepserunt, adhibenturque passim, non a vulgo tantum, sed & a viris non mediocriter cultis ex vi consuetudinis magis, quam quod illis aut ullam notionem, aut claram & distinctam respondere sentiant. Interim his pronunciatis quilibet vel abstrusissimas res explicasse, vel dixisse saltem aliquid, credit, eique plerumque belle ab ignaris, minus etiam ipsis intelligentibus, plauditur.

§. II.

UTcumque in rebus Geometricis & Arithmeticis usus notionum & vocabulorum abstractorum frequentissimus sit, & iis disciplinis, quæ totæ sunt abstractæ utilissimus; in rebus tamen physicis, magnorum errorum causa esse potest; Idque quia inducit homines ad credendum existere quasdam naturas *abstractas* a rebus ipsis separatas, ex quo infinita judicia falsa proveniunt. Ex. g. Naturæ istæ abstractæ in personas commutari possunt, uti a Gentilibus commu-

mutatæ fuerunt (*a*) Hinc nati Dii illi *Amor* Θεμις *Justitia*, Μνημοσυνη *Memoria*, *Cupido*, *Mors*, *Fortuna*, *Puta*, *Petella*, *Pomona*, *Segetia*, & innumeri alii (*b*). Quæ quùm essent vocabula *abstractarum notionum* ut Seneca ipse observabat, tamquam personæ reales habitæ sunt a populis, & cultæ (*c*).

§. III.

A Beodem fonte natæ sunt *ideæ Platonicæ*. Primi Philosophi & Poetæ de ideis Mentis divinæ, abstracto modo sunt loquuti. Eas uti rerum omnium exemplaria depinxerunt. Ingenitas eas & immutabiles fecerunt, quippe quæ nihil sunt aliud nisi ipsa Dei scientia ingenita & immutabilis. Paulatim eo ventum est, ut ideæ istæ tanquam *naturæ quædam reales*, & a Deo separatim existentes crederentur, rerumque factarum *essentiæ* quædam immutabiles haberentur. Hanc enim doctrinam Platoni suo tribuit Aristoteles ejus discipulus & familiaris (*d*) riteque addit eos, qui talia defendunt, *inania loqui*, & *figuras poeticas proferre*, quod nempe fieri non possit, *ut seorsim sit essentia*, & *id cujus essentia*. Scio alios ita Platonem intellexisse, quasi idearum istarum vocabulo ipsas Dei notiones significare voluerit. Sed quæ Plato in Theæthæto scribit, & Aristotelis auctoritas, tum & Plutarchi (*e*), refragari videntur.

§. IV.

(a) *Clericus in Arte Crit. part.* 2. *sect.* 2. *cap.* 5. §. 3. & *seqq.*

(b) *Consulatur Arnobius lib.* 2. & *Clemens Alex. exhortatione ad Gentes*.

(c) *Vide Arnob. lib.* 4. *cap.* 1. *quo in loco vocat huiusmodi* nomina cassa, & nullius substantiæ. *Plautino vocabulo vocare possis* verba nihili.

(d) *Metaphys.* XII. & alibi.

(e) *Lib.* 1. *de Placitis cap.* 3. & 10. *Legatur* & *Petavius in Dogmatibus Theologicis tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 9. *Sed rem omnem confecit Jacobus Bruckerus in* historia Philosophica *de ideis*.

§. IV.

DIstinctio quoque *personæ* & *naturæ* tanquam *duarum rerum realium* eidem caussæ originem debet. Quicumque sano judicio philosophantur non distinguunt personam Pauli a *natura* Pauli. Totum enim individuum humanum *persona humana* dicitur. At Scholastici personam tanquam *reale aliquod*, & a natura ipsa humana *separabile*, & tanquam partem unam hominis ab altera distinctam sibi effinxerunt. Sed inquiunt, hæc doctrina Theologico dogmati innititur. Constat enim ex Theologia Christiana in Christo totam naturam humanam fuisse, non vero personam. Respondemus separandum esse dogma Christianę Theologiæ, quod planum & sibi constans est, ab abstractis Theologorum notionibus. Dogma Christianum est, naturam divinam, & humanam ita inter se arctissimo nexu conjunctas fuisse in Christo, ut in una *hypostasi*, seu *persona*, divina nempe, subsisterent, aut *concurrerent*, ut loquuntur Patres Chalcedonenses; adeoque Christum non in duas personas partitum, seu divisum; idque contra Nestorium, qui quasi duos Christos statuebat; sed unum eundemque filium, & individuum unum, esse *hominem* simul, simul *Deum*, uti recte hæc explicat Eugenius Papa in comitiis Florentinis (*a*); At nunquam Ecclesiæ, aut Patrum mens fuit, personam esse *ens reale* a natura separabile: alioquin nunquam dixissent, *nihil, quod ad naturam humanam pertinet, verbum non assumptum reliquisse*. Notiones igitur illæ abstractæ non sunt cum dogmate miscendæ.

§. V.

HUc quoque referunt Cartesius, Hobbius, Leibnitius, Vvolfius nomen spatii vacui tanquam distincti a rebus ipsis seu substantiis extensis, quod & veteres Epicurei, & recentes Gassendistæ, & Nevvto-

K nia-

(a) *Decreto pro Armenis apud Labæum pag.* 532. *edit. Paris. an.* 1672. *Vide & Estium in I. sent. dist* XXIII.

niani docent: nempe contendunt nomen esse *notionis abstractæ*. Extensio enim inquiunt, *modus est rei alicujus extensæ*, nec fine *re illa* esse potest. At nunc, addunt, eo res evasit, ut notio abstracta pro *ente reali* a plurimis habeatur. Et quum quidam eorum satis intelligerent *extensionem sine re extensa esse non posse*, extensionem mundanam, quam ipsi vacuam appellant, Deum esse asserere non sunt veriti. Quæ quum sublimiora sint, hujus loci non sunt propria.

§. VI.

SUnt infinita alia vocabula abstracta, quibus aut nihil respondet, aut *nescio quid*, veluti *Ecceitas*, idest id quo res aliqua singularis est, & individua, *Petreitas*, id quo Petrus est Petrus, *Animalitas*, id quo animal est animal, *Humanitas* id quo homo est homo, *Personalitas*, id quo persona est persona, *Aureitas*, *Saxeitas*, *Metalleitas*, id quo aurum, saxum, metallum talia sunt potius, quam alia, quibus Peripateticorum libros saburratos videas. Ea vero omnia duo maxima Philosopho malo inferre possunt. I. pravum philosophandi gustum. II. mentem confusam, & sophisticam. Nec tamen hoc dico, quod *vocabulorum* abstractorum usum penitus velim avulsum, quod nec potest, nec, si posset, faciendum esset, ob facilitatem, & compendium loquendi in rebus sublimibus: tantum ut abusus vitetur, & ne usu erretur nimio moneo. Alioquin scimus in omnibus disciplinis majorem reum partem per vocabula abstracta tractari. Ita Physici de *motu*, ejus *legibus*, *& proprietatibus*, *de calore*, *de coloribus*, aliisque qualitatibus corporum *abstracte* disputant: Ethici vero de *virtutibus*, *& vitiis*, *de legibus*, *moribus generatim* & abstracte & ipsi; & alii similiter. Quinimo ne superest quidem alius modus, quibus hujusmodi disciplinæ tractari possunt. Sed monendi sunt, qui hæc legunt. I. *ne notiones abstractas pro rebus ipsis accipiant*. II. *ut quoad fieri potest eorum vocabulorum ideas statuant fixas*. III. *ut sicubi obcura & vaga repererint, ne tempus perdant in iis nimis*

mis

nis studiose interpretandis : quandoquidem infinita sunt hujusmodi vocabula, quibus auctores utuntur ex usu magis, quam ex scientia, quæque interpretari velle, est id velle intelligere, quod qui scripserunt non intelligebant (*a*).

C A P. XIII.

De Propositionibus.

§. I.

PRopositio Logicis dicitur *omnis oratio, quæ integrum refert sensum, quaque affirmamus aliquid, aut negamus*. Itaque ex Logicorum doctrina tribus saltem constat omnis propositio, *subjecto, attributo, & forma*, quam *copulam* vocant. Subjectum illud est de quo affirmatur, aut negatur aliquid; attributum vel prædicatum, quod de subjecto affirmatur, aut negatur. Ipsa affirmatio aut negatio forma dicitur, & *copula*.

§. II.

PRopositiones aut *simplices* sunt, aut *complexæ*, seu *compositæ*. Simplices vocamus eas, quæ in nullas alias solvi possunt, idest quæ nullas alias complectuntur, veluti, *virtus est nobilis*, *corpus est grave*, *homo est mortalis*. Complexæ seu compositæ (nam non placet cum Auctore artis cogitandi complexas a compositis sine ulla ratione secernere) sunt quæcumque in alias solvi possunt. Est autem hæc propositionum compositio multiplex I. vel *ratione terminorum*, vel *ratione formæ*. II. vel *diserte*, vel *latenter*. Ratione *terminorum*, scilicet vel *subjecti*, vel *attributi*, vel *utriusque* simul. Ex. *Mens æterna omnipotens existit*. Non

(a) *Quale e. g. est vocabulum* ἐντελέχεια *Aristotelis, pro quo intelligendo malum Genium excivisse Hermolaum Barbarum, utut id neget Naudæus, scripsit ejus æqualis Petrus Crinitus. Legatur dissertatio nostra* de rerum origine, & constitutione.

unum affirmo, sed tria. 1. existere mentem quandam: 2 existere mentem aliquam æternam. 3. mentem hanc æternam esse omnipotentem. Tria illa in subjecto continentur. Quum dico, *Plato Atheniensis fuit magnus Philosophus*, tria dico 1. Platonem fuisse Philosophum. 2. Fuisse Atheniensem. 3. Fuisse magnum Philosophum. Subjectum simul & attributum composita sunt. Hæc alia propositio composita est ratione attributi, *Discite justitiam moniti & non temnere divos:* subjectum enim est *miseri*, qui duo discere debent *justitiam*, quæ homines, & non *temnere Divos*, idest *religionem*, quæ Deum spectat.

§. III.

PRæterea compositio propositionum aut *aperta est*, *aut latens*. Propositiones, quæ apertam compositionem habent, ad sex classes referri solent. *I. Copulativas*. II. *Disiunctivas*. III. *Conditionales*. IV. *Causales*. V. *Relativas*. VI. *Discretas*. Copulativæ complectuntur plures simplices particulis copulativis conjunctas. Ex. g. *Divitiæ, & sapientia, & nobilitas sunt causa superbiæ*: in qua propositione tria sunt subjecta conjuncta, de quibus attributum affirmatur. *Disjunctivæ* continent plures propositiones particulis disjunctivis a se invicem sejunctas, e. g. *Amicitia aut accipit pares, aut facit. Bonum aut honestum est aut utile*. *Conditionalis* continet duas partes, quarum una ex præjacente conditione pendet Ex. g. *Si providentia est* (quæ est antecedens conditionalis) *Deus est* (quod est consequens ex antecedente conditionali pendens). Causalis continet duas partes, quarum una alterius causa statuitur. Ex. g. *Deus fecit mundum* (effectus est) *ut ostenderet suam gloriam* (causalis est: nam finis est: finem vero inter causarum genera statuunt Philosophi). *Relativæ* continent relationem, v. g. *qualis vita, finis ita*. Discreta propositio continet duo judicia de eodem subjecto, quorum unum affirmans est, alterum negans, veluti, *Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt*.

§. IV.

§. IV.

PRopositiones *latentem compositionem* habentes ad quatuor classes referri solent. Sunt enim. I. *Exclusivæ*. II. *Exceptivæ*. III. *Comparativæ*. IV. *Inceptivæ* & *desitivæ*. Sic autem appellantur aut a particulis quibusdam, quibus connectuntur: aut a principio vel fine rerum, quas res significant. Exclusive particulæ sunt *tantum*, *solum*, & similes; exceptivæ *præter*, *excepto*, similes. Explicemus rem exemplis. Hæc propositio. *Deus tantum est æternus*, duas complectitur. 1. *Deus est æternus*. 2. *& nihil aliud eorum quæ sunt est æternum*; itaque exclusiva est. In propositionibus exclusivis diligenter perspiciendum est, an particula exclusiva afficiat subjectum; an vero attributum; illa enim dicitur de *subjecto excluso*: hæc *de excluso prædicato*. Illæ docent attributum nulli alii subjecto convenire, qualis antecedens: hæ nullum aliud attributum subjecto attribui posse, ut *oculus videt tantum*; sensus est, ita videt, ut nec audiat, nec odoretur &c. *Exceptivæ propositionis* exemplum est, *omnia sunt mortalia*, *præter Spiritus*, vel, *exceptis Spiritibus*. Complectitur has duas. I. *Spiritus sunt immortales*. II. *Cetera mortalia*. Comparativæ hoc, *Ira amore est validior*: Solvitur ita. I. *ira & amor affectus sunt validi*: II. *ira tamen præ amore validior*. *Inceptivæ & desitivæ hoc*: *a Comitiis Tridentinis res Europæ literia magnum augumentum cæpit*; quæ sic solvitur. I. *ante Comitia Tridentina literæ jacebant* (quæ est barbariei *desitiva*): II. *post floruerunt* (quæ inceptiva est literarum.)

§. V.

IN propositionibus compositis distinguendæ plerunque sunt *principales ab incidentibus & accessoriis*. E. g. quum dico, *Ninus*, *qui idem fuit atque Belus*, *fundavit Ninivem*; duo affirmo. I. *Ninum fuisse eundem cum Belo*. II. *Ninum fundasse Ninivem*. Duarum autem istarum propositionum prior *incidens* est, posterior *principalis*. Eodem modo, *Lingua Sinarum*, *quæ Noetica est*, *omnium est simplicissima*, duo dico. I. *Sinarum*

linguam Noeticam fuisse. II. *omnium esse simplicissimam*. Posterior tamen propositio principalis est. Plurimum in librorum interpretatione refert nosse quænam sint *principales*, quænam *incidentes* propositiones. Nam qui scribit, videtur de principalibus potissimum sollicitus, de incidentibus minus. Quocirca Canon est omnium Logicorum, *Propositiones incidentes nec nimium esse urgendas, nec valde pertinaciter scriptoribus imputandas*. Qui Canon in Sanctorum Patrum lectione potissimum recolendus est. Ii enim ante natas quasdam hæreses, quasdam propositiones incidentes bona mente protulerunt, quas, si hæreses illæ natæ fuissent, haud dubium non protulissent: quippe quæ videri potuissent hæresibus illis favere.

§. VI.

Circa propositiones compositas hæc mihi videntur non sine utilitate adnotari posse.

I. Propositio conjunctiva ut sit vera omnes ejus partes debent esse veræ: si una falsa fuerit, tota est falsa. Nam *affirmatio*, aut *negatio*, quæ una est & individua, omnes partes complectitur: earum igitur si una falsa est, tota *affirmatio*, aut *negatio* erit falsa.

II. Si antecedens conditionalium in se consequens non contineat, propositio conditionalis, aut falsa est, aut inepta. V. g. *Si Plato fuit Philosophus, Plato fuit Atheus*. Falsa est. *Si Plato fuit Philosophus, Plato fuit filius Aristonis*. Inepta.

III. Propositio conditionalis neque antecedentis, neque consequentis existentiam affirmat, aut negat, sed tantum statuit connexionem inter antecedens, & consequens. Qui dicit e. g. *Si non est providentia, non est Deus*, neque Deum negat, neque providentiam, sed tantum statuit connexionem inter antecedens illud, & hoc consequens.

IV. In causali duæ sunt partes, quarum una continere debet rationem alterius sufficientem. Si hæc ratio desit, propositio aut falsa est, aut inepta. V. g. *Romanum imperium cecidit, quia Christianam Religionem ad-*

admisit, ut declamabant Gentiles : falsa enim est effectus illius causa; Christiana enim Religio non evertit, sed mirifice conservat societates, & imperia (*a*). Hæc inepta est, *Aquæ maris fluunt atque refluunt*, *quia Oceanus pulmonum habet systolem*, *&* *diastolem*.

V. Relativæ propositiones aut falsæ sunt, aut ineptæ, si falsa relatio, aut inepta statuitur.

VI. Disjunctivæ propositiones sunt ineptæ si medium est aliquod inter partes, quæ ut oppositæ statuuntur. V. g. *Omnes homines sunt aut Medici, aut Jurisperiti*.

VII. Propositionum exclusivarum veritas difficillime patet. I. Ut pateat veritas propositionum de subjecto excluso sciri debent omnia alia subjecta existentia, aut possibilia. Qui dicit, v. g. *ex omnibus animantibus Universi solus homo ad æternam beatitudinem factus est*, ut se verum dicere affirmare possit, scire debet, sintn, in aliis universi globis animalia alia ratione prædita e diversorum generum, quæ & ipsa ad beatitudinem sint facta, quæ sola *ratione* scire nequit. II. ut pateat veritas propositionum de prædicato excluso sciri debet adæquate subjecti essentia. Utrumque autem istud difficillimum est.

VIII. Si extrema, inter quæ fit comparatio, non omnia eandem qualitatem, in qua comparantur, participent, propositiones comparativæ ineptæ sunt, v. g. *Nix est Ebano candidior*. *Punctum est omni triangulo minus*. *Dei cogitatio velocior est cogitatione humana*.

IX. Omnis propositio inceptiva continet desitivam, ut & desitiva inceptivam. E. g. *Hebræi a Mose cæperunt esse liberi*: ergo ante Mosem servi erant. Ante seculum 14. non erat ars typographica: ergo fuit post seculum 14.

Possent alia plurima non inutilia hoc in loco præcipi. Sed quædam relinquenda sunt auditorum acumini.

(a) *Vide B. Aug. in Civitat.*

CAP. XIV.

De propositionum quantitate, conversione, & oppositione.

§. I.

PRæter *qualitatem* propositionum, qua propositiones sunt *affirmantes* vel *negantes*, *simplices* vel *compositæ*, de qua superius, spectandæ etiam sunt tres aliæ eorum proprietates, *quantitas*, *conversio*, & *oppositio*. Ratione quantitatis omnis propositio est. I. *Indefinita*. II. *Universalis*. III. *Particularis*. IV. *Singularis*. *Indefinita* vocatur quæ nullo quantitatis signo efficitur, veluti, *Virtus est vera nobilitas: circulus est figura plana*. Hæ vero propositiones universalibus æquivalent, uti recte docet auctor Artis cogitandi. Universalis propositio afficitur signo aliquo universali, veluti *omnis homo est mortalis*, *nemo est omni ex parte beatus*. Propositio singularis illa est, cujus subjectum unum quidem est, sed non determinatum; singularis vero si subjectum sit unum determinatum: hæc particularis est, *sunt lineæ quædam incommensurabiles*: hæc vero singularis, *Cicero præfuit Romanæ Reipublicæ*. Logici quatuor litteris symbolicis propositionum qualitatem, & quantitatem complectuntur. Sunt autem A, E, I, O. Hujusmodi litterarum vim his versiculis explicant.

Asserit A, negat E, verum universaliter ambo.
Asserit I, Negat O, sed particulariter ambæ.

§. II.

PRopositionum oppositio, est *duarum propositionum ex eodem subjecto, eodemque prædicato constantium, repugnantia in qualitate*, ita scilicet ut una sit affirmans, altera negans. Sunt autem tria oppositionis genera: propositiones enim oppositæ sunt vel *contrariæ*, vel *contradictoriæ*, vel *subcontrariæ*. *Contrariæ* sunt A E. *Contradictoriæ* A O, vel E I. *Subcontrariæ* I O.

Hinc

Hinc facile solvi potest problema hoc Logicum. *Data quavis propositione oppositam ei facere*. Nempe si propositio sit A, ei fiet contraria E, contradictoria O. Data E, ei fiet contraria A, contradictoria I. Data I. fiet ei contradictoria E, subcontraria O. Data O, fiet ei contradictoria A, subcontraria I.

§. III.

USus oppositionis duplex est, primus *in rite extentionem propositionum intelligendo*; Secundus *in disputando ad adversarium contradictionis convincendum*. Et primus quidem usus magnus est in Conciliorum Canonibus, quibus errores quidam condemnarunt, interpretandis. Scilicet Patrum mens fuit oppositos errores damnandi: datis ergo propositionibus erroneis, fiant eis oppositæ: hæ erunt propositiones Canonum, E. g. Ecclesia damnat hanc Jansenii propositionem. *In statu naturæ lapsæ interiori gratiæ nunquam resistitur*: opposita est vera. Fiat contraria, *In statu naturæ lapsæ interiori gratiæ semper resistitur*: & hæc falsa est: vera ergo erit contradictoria; *In statu naturæ lapsæ interiori gratiæ aliquando resistitur*. In disputando vero plerumque disputantes certis terminis contineri se nequeunt: ad terminos disputationi statutos adigimus oppositionis usu: nam ne duo opposita dicant, ad controversiæ terminos redeunt.

§. IV.

COnversionum usus & ipse duplex est, ut nempe rite propositionum extensio intelligatur, & ut accurate disputetur. Fit autem conversio propositionis, *quum ejus subjectum transponitur loco prædicati, prædicatum loco subjecti, eadem qualitate propositionis manente, quantitate vero manente in conversionibus simplicibus, non vero in versionibus per accidens*. E. g. *Triangula æquilatera sunt æquiangula*: conversa: *Triangula æquiangula sunt æquilatera*. *Omne corpus est solidum*: *omne solidum est corpus*. Simpliciter converti possunt ex Logicorum doctrina propositiones EO. Per accidens vero

pro-

propositiones A. Quæ non semper vera sunt. Sed tædet me ineptias hujusmodi prosequi: sunt enim tales, quas contempseris doctius, quam sciveris. Interim, si vacat, legantur quæ his de rebus habet Auctor *Artis cogitandi lib.* II.

§. V.

Circa quantitatem propositionum hæc interpretandis aliorum dicta utilia observabimus ex eodem Auctore artis cogitandi (*a*). I. Propositionum *universalitas* vel est *Metaphysica*, vel *Moralis*: & in illa quidem nulla est exceptio: in hac vero exceptio esse aliqua potest. E. g. *omnis homo mortalis est*: universalis est metaphysice: nullam enim habere exceptionem potest. At hæc, *Non est qui faciat bonum*, *non est usque ad unum*, moralem habet universalitatem: Itaque nec nimium urgenda est, nec ex ea propositiones particulares indiscriminatim deducendæ, tamquam si universalitas esset *metaphysica*.

§. VI.


In eo autem magna est difficultas, ut discernatur quandonam propositiones metaphysice, quando vero moraliter sint universales. Id investigandum est partim ex *auctoris mente*, & *loquendi ratione*; partim ex *ipsa rerum*, de quibus agitur natura. E. g. dicit Paulus Apostolus, Deus *vult omnes homines salvos fieri*: sunt qui hanc propositionem non *metaphysice*, sed *moraliter* universalem esse volunt. Sed hos non rite accipere & ex ipsa rei natura, & ex Pauli mente discere possumus. I. Quia quum Deus sit æque omnium Pater, nulla ratio est, cur aliquem, nisi mereatur, rejicere a beatitudine velit. II. Quia idem Paulus docet non esse apud Deum personarum ullam acceptionem, eodemque loco apud illum esse *Judæos*, & *Gentiles*, *cultos*, & *barbaros*, solaque operum sanctitate discerni. III. Quia Deus malos perpetuo ad bonam frugem exhortatur. IV. Quia id toti scripturarum divinarum *œconomiæ*, qua duce scripturæ sacræ recte interpretantur, adversatur.

§. VII.

(a) *Part.* 2. *cap.* 13.

§. VII.

II. Quædam sunt Propositiones universales, *quæ de generibus singulorum, non de singulis generum accipi debent*. Veluti quum dicitur, *omnia* animalia *fuerunt in arca Noemi*, idest omnia animantium genera. Quum Christus dicit de Pharisæis, *decimant omnes olus*, ita intelligendum, ut decimaverint omne oleris genus, quod in usu apud Ebreos erat. Hæc diligenti indagine sunt investiganda.



ARTIS

ARTIS LOGICOCRITICÆ

LIBER III.

De vero & falſo, deque Criteriis veri generatim.



Ene habet. Quæ mentem aut ab inveſtigatione veritatis abſterrere poſſunt, aut in errores agere præcipitem: tum quæ ideæ, idearumque origo, & genera; quæ vocabulorum natura, qui uſus, in duobus prioribus libris, ſatis, aut fallor, enarrata; atque explicata habemus. Ea primum ut tirones philoſophi diſcerent oportebat: ea ſi probe habuerint perſpecta, exercitioque ipſo mentis in ſuccum converterint & ſanguinem, ſatis grandem feciſſe ad rem *logicam*, atque *criticam* gradum ſciunto. Nunc ad majora aggredimur: dicendum enim reſtat *quas ob res* tantas curas ſuſcipiet philoſophus: quæ veritatis & ſcientiæ *inſignia*, & quaſi *teſſeræ*; quæ diſcendi *viæ & rationes*; quæ tribus, qui ſequuntur, libris, quod felix fortunatumque ſit, porro explicaturi pergimus.

CAP. I.

De vero & falſo, deque variis animi humani ſtatibus quod ad veritatem attinet.

§. I.

Vocabulo *veritas* non una atque ſimplex ſubjecta eſt notio: eſt enim veritas aut *moralis*; aut *realis* atque *naturalis*; aut *Metaphyſica*; aut *Logica*, Veritas moralis eſt *concordia ſententiarum animi* cum *ſignis quibus illæ exprimi ſolent*. Ea dicitur moralis, quod ad hominum mores ſpectet. Qui igitur ita eloquuntur, ut ſentiunt, ii *veridici* appellantur. Huic veritati opponitur

nitur *mendacium*, & , ut Cicero graviſſime cenſet (*a*); diſſimulatio etiam atque ſimulatio. Hujus loci non eſt canones hanc ſpectantes veritatem præcipere. Ethicorum id eſt proprium (*b*). *Veritas realis eſt* quum *res eſt id quod eſſe in natura debet*, eaſque habet in natura proprietates, affectiones, aut relationes, quas habere natura debet: ſeu, ut apertius dicam, *eſt ipſa exiſtentia, eſſentia, relatio rei, prout in natura ipſa ſtatuta ſpectatur*. Hanc veritatem habent hujuſmodi propoſitiones, *exiſtit res quædam cogitans: Aurum eſt grave: tres trianguli anguli ſunt æquales duobus rectis: ſi exiſtit motus exiſtit cauſa motrix*. Veritas *Metaphſica eſt congruentia rerum aut factorum, aut poſſibilium cum ideis Dei æternis & immutabilibus*. Duabus hiſce veritatibus, *Naturali ſcilicet*, & *Metaphiſicæ* nulla eſt oppoſita falſitas: quælibet enim res ut neceſſario eſt, quod natura eſſe debet, quæ eſt *veritas naturalis*;ita æternis Dei & immutabilibus ideis non congruere nequit, quum ſit ille & ſapientiſſimus, & potentiſſimus, & mundi opifex, atque conſervator.

§. II.

VEritas Logica eſt convenientia judiciorum noſtrorum cum veritatibus ipſis naturalibus & realibus; quum ſcilicet id nos judiciis noſtris affirmamus, aut negamus, quod natura ipſa *tale eſt*, *aut non eſt*. Falſitas autem Logica eſt diſcordantia judiciorum noſtrorum a veritatibus naturalibus & realibus, nempe quum judiciis no-

(a) *Lege quæ hac de re præclare præcipit in tertio de* Officiis, *Ita* inquit, *nec ut emat melius*, *nec ut vendat*, *quidquam ſimulabit*, *aut diſſimulabit VIR BONUS*..... *Hoc autem quale ſit*, *& cujus hominis*, *quis non videt? certe non aperti*, *non ſimplicis*, *non ingenui*, *non juſti*, *non VIRI BONI: verſuti potius*, *aſtuti*, *fallacis*, *malitioſi*, *callidi*, *veteratoris*, *vafri*.

(b) *Legatur Aug. de mendacio ad Conſentium*, *Grotius lib.* II. *de jur. B. & P. Puſendorfius lib.* IV. *de J. N. & G. cap.* I.

nostris affirmamus, quod, si ipsam rerum naturam introspexissemus, fuerat negandum, aut negamus id, quod fuerat affirmandum. Vocatur autem hæc veritas *Logica*, quod nimirum quemadmodum Philosophi *officium* est *veritates naturales* investigare, ut iis ad beatitudinem uti possit; ita Logici canones præcipere, quibus veritates istæ *certa via* & *ordine* perquiri possint. An autem veritates naturales *certo* sciri a nobis possint, & qua via atque ratione, dicetur inferius. Porro hæ veritates dicuntur a Logicis *propositiones aut evidentes*, aut sin *evidentes*, saltem *certæ*. Quum autem propositiones istæ ad varias humanæ eruditionis partes pertineant, inde fit ut appellentur aut *Physicæ*, aut *Theologicæ*, aut *Ethicæ*, aut *Historicæ*, aut *Juridicæ*. Sed & ipsæ veritates *naturales* prout pertinent ad varia objecta idearum nostrarum, iisdem variis vocabulis nominantur: hinc dicimur investigare veritatem Physicam, quum causas motuum Cœlestium proximas, aut attractionis magneticæ perquirimus: Geometricam, quum studemus reperire aut problematis Geometrici solutionem, aut theorematis demonstrationem. De aliis eodem modo ratiocinator.

§. III.

ANimi humani status, quod spectat ad *cognitionem*, omnino sunt quatuor. I. *ignorantiæ*, II. *Dubii*. III. *Opinionis*. IV. *Certitudinis*. I. Ea ignorare dicimur, quorum nullas nec sensu, nec conjectura & ratiocinio habemus ideas. Sed & status ignorantiæ est triplex I. *omnigenæ ignorantiæ*. II. *meræ fidei*. III. *ignorantiæ cum scientia conjunctæ & temperatæ*. In primo statu versantur infantes dum adhuc in utero sunt matris, seu quod nullas vident ullarum rerum ideas homuli isti, seu quod nondum exsertam habent & expeditam percipiendi facultatem: dicere enim infantes in utero matris cogitare, est hominibus *sensum communem* velle præripere. Hunc *omnigenæ ignorantiæ* statum excipit statutus *fidei*, ut ego appello, idest status idearum confusarum atque obscurarum, in quo nec nihil cernitur, & clare atque di-

distincte non cernitur, omnino vero non judicatur, sed aut sensuum, aut aliorum vivitur judicio. Talis est status infantium ante *adultam rationem*: talis præterea status hominum stupidorum. Hujus status propria sunt *judicia naturalia*, ut vocat Malebranchius, idest *præjudicia sensuum* & *phantasiæ*, que in animum irrepunt, quasi nobis insciis, minimeque advertentibus; quippequi in eo statu nec dubitare scimus, nec perpendere: rapimur ergo a *sensu* & *phantasia*. Ad eundem statum spectant *præjudicia consuetudinis* & *auctoritatis*: quandoquidem in eo statu constituti, quum *scire videreque* ipsi, atque *examinare* nequeamus, aliorum aut *exempla*, aut *verba* pro *ratione* habemus. *Præjudicium* autem quum dico, non ut hodie imperite a pluribus accipi video, *opinionem falsam*, sed judicium intelligo seu verum, seu falsum, aut ab aliis (quod *præjudicium auctoritatis* dicitur); aut a nobis, minime tamen animadvertentibus, sed vehementer a *sensibus*, & *phantasia* commoti (quod sensuum est præjudicium) factum, quod pro vero sine ullo examine accipimus. Ex quo sequitur ineptum esse illud plurimorum, qui quum falsum aliquid dicere volunt *præjudicium est*, inquiunt; sunt enim & *falsa* & *vera præjudicia*, quæ acri ratione sunt discernenda; non vero anticipata opinione, & sine ullo examine, idest altero *præjudicio*, statim expuenda. (*a*).

§. IV.

SEquitur status ignorantiæ cum *scientia* conjunctæ & temperatæ. Is regnat in reliquum vitæ humanæ tempus, idque in hominibus omnibus. Nam ipsi illi, quos conceptis in adulationem formulis *doctissimos*, & *eruditissimos* appellamus, *pauca* certo sciunt, in *plurimis* opinantur, aut hærent dubii, *infinita* ignorant: qui idcirco si non ex rerum, quas sciunt, numero, sed ex numero ignotarum sint designandi, rectius *ignorantissimi*, & *imperitissimi* appellabuntur. Horum autem ani-

(a) *Legenda sunt quæ magno judicio ea de re differit Barclajus in* differt. ad magistratus de tuenda Religione, *in Bibliotheca Britannica tom.* XII. *p.* 2.

animus in iis, quæ non omnino ignorat, aut *hæret dubius*, aut *opinatur*, aut *certus* est. Et dubius quidem est animus, aut quum neutra ex parte rationes habet, quibus impellatur ad assensum, quod dubium *negativum* vocant: aut quum ex utraque parte habet æquales, quod *positivum* nominant. Est enim animus, quod ad assensum, aut dissensum attinet, *Lancis* instar, quæ nisi præponderante ex alterutra parte momento, nullam in partem declinat, sed perstat in æquilibrio. Momentum, quo intellectus inclinatur est RATIO. Ea si neutra ex parte apparet, is in æquilibrio est suapte natura: ex utraque æqualis, momentorum æquilibritate stat immobilis.

§. V.

STatus *probabilitatis*, seu, ut vulgo dicitur, *opinionis*, is est in quo animus alterutram quidem in partem flectitur, sed lente, perplexim, timide, nec sine sollicitudine. Quod fit, aut quod ex una tantum parte apparent rationes, quibus inclinatur, non illæ licet *apertæ*, *evidentes*, quæque omnem ex animo anxietatem auferant: aut quia ex utraque adsunt, quamquam ex alterutra graviores. Quum autem quæ animum commovere possunt momenta sint aut RATIO, aut AUTORITAS, quæ ex ratione nascitur probabilitas, *intrinseca* appellatur, quæ ex auctoritate, *extrinseca*. Ea autem ex re patet, statum *probabilitatis* medium esse inter *ignorantiam*, qua nihil, & *scientiam*, qua *certo* scimus: ergo distat hic status ut ab ignorantia, ita certitudine. Distat autem gradibus quibusdam. Gradus distantiæ a certitudine dici solent *gradus probabilitatis*, iique, dum opiniones duæ conferuntur, numerantur in *ratione inversa*. Ex. g. sit Certitudo D, opiniones duæ B, C, distetque B a D 4. C vero 2., erit probabilitas τοῦ C ad probabilitatem τοῦ B, ut est 4. ad 2.. Quas tamen collationes quum efficere nequeat, nisi qui certitudinem intuetur; inde fit ut difficillime hoc modo probabilitatis gradus dimetiantur, faciliusque cognoscantur ex distantia ab ignoratione. Sed ea de re alibi commodius. *Probabilitas* & *opinio* pro eodem vulgo haberi solent: non recte tamen. Opinari

nari

nari enim Latinis est probabilitati tanquam certitudini assentiri, idest incerta habere pro certis. Notum est Stoicorum illud, *sapientem nihil opinari* (*a*).

§. VI.

QUartus jam superest animi status, *certitudo*. Certus est animus, qui de judicio suo, quantumvis velit, aut conetur, dubitare nullo pacto potest: nam si vel minima insit suspicio, aut sollicitudo, certus non est. Certitudinis judex sui cuilibet est conscientia, nemini alter. Ergo in his judiciis, *Non potest idem simul esse & non esse*, *Quæ eidem sunt æqualia inter se sunt æqualia*, *Triangula habentia eandem altitudinem sunt ut bases*, certus sum. Nam nulla mihi est de eorum veritate suspicio, & quantumvis conor de iis dubitare nequeo. Suam dixi cuique esse certitudinis judicem *conscientiam*, quod interiorem hunc animi statum, nisi Deus, alius intuetur nemo: quanquam id non prohibet, quin certis is signis cognoscatur, aut autoris asseveratione, aut actionibus, uti ex exemplis, quæ mox subjiciam patebit. Est porro certitudo vel *vera* vel *fallax*: potest enim quis certus esse, interim errare: Certus quidem, quod nec dubitet de judicio suo, nec dubitare sciat: errare vero si judicium illud minus sit *veritati naturali* conforme.

(a) *Cicero* IV. *Acad. Qq. Interim non intelligo, qui possit quispiam animo hoc modo opinari, ideſt* temere assentiri. *Assentiri enim dicitur animus, quum* convictus *est et* certus: *quod si in probabilitate certus non est, assentiri nequit; aut si assentitur, convictus est & certus; probabilis ergo non est; neque idcirco opinatur. Video tamen unde ea sit nata opinio. Persuaserunt sibi quidam, intellectum humanum libertatem habere judiciorum, adeoque iis etiam assentiri posse, quæ aut non intelligit, aut non clare intelligit, aut quæ esse falsa videt: non alia ratione quam qua voluntatis libertate etiam contra animi sententias vocabulis abutimur. Quæ opinio omnino est falsa: quanquidem intellectus potentia est necessaria.*

§. VII.

Mirum est potuisse Philosophos *fallaces* istas certitudines negare, quæ & in litteratorum libris proferuntur quotidie, & in tota humana regnat vita. Nullane erunt judicia falsa quæ pro veris habentur? mihi potius videtur nulla esse tam numerosa judicia, quam isthæc, quæ certa habentur, & fallunt. Quot sunt non in Philosophia modo, sed in Religione sectæ, qui sibi adversantur, & quarum, nisi una, nulla esse alia vera potest? Quot sectarum hujusmodi sectatores? Eorumne nullus erit, qui certam sectam suam habeat? Mihi contra paucos esse, qui suam certam non habeant videtur; quippe qui video pro ea ita ut pro vita pugnare. Philosophi ipsi fallaces istas certitudines, dum rerum suarum amore incalescerent, omnium maxime passi sunt. Non posse esse mundum nisi æternum, censebat Aristoteles: at factum esse, idest aliquando cœpisse, docebat Epicurus. Lactantius risit Antipodas (*a*), qui nunc ipse ridetur a pueris. Malebranchius adeo certus erat se omnia in Deo videre, ut scripserit, *amare se melius vocari fanaticum*, quam de sententia abire (*b*): contra Lockius nihil habet exploratius, quam omnia *sensu* & *meditatione* sciri. Nihil magis Cartesius sibi persuaserat, ἀδύνατον, quam vacuum: cæcutire eos qui vacuum hodie non vident, scribunt Nevvtoniani. Memorat Ricaut Turcam obfirmato animo Constantinopoli pro Atheo maluisse comburi, quam tam nefando posito errore, vitam excipere (*c*). Non est igitur, quod *fallaces* istas cer-

(a) *Lib.* III. *cap.* 24. Est *inquit*, quisquam tam ineptus qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora quam capita? *Ædepol rem intellectu negotiosam*!

(b) *In illustrat. ad libros de inqu. verit.* Deum, *inquit*, solum nos illuminare Religioni adeo conforme mihi videtur, ut illud ad extremum usque explicare & defendere muneris mei esse arbitrer. Phantasticus, illuminatus, fanaticus ...... nuncupari malo &c. *pag.* 70. *edit. Latin.*

(c) *Vocat eum* Muhammed. Effendi: *in historia Imperii Ottoman. lib.* II. *cap.* XII. *edit. Amstel.* 1672.

istas certitudines negemus: nihil potius inculcandum est Philosopho, quam ut ab his caveant: quippe nihil est VERITATI, & VITÆ HUMANÆ pernicialius, quam in pravum indurescere, nec ulla pernicies major inveniri potest, *quam in falsitate opinio intelligentiæ*.

§. VIII.

CErtitudo *apparens* nascitur ex omnibus iis caussis, ex quibus error manat, sed præsertim ex his quatuor I. *brevitate mentis*. II. *Præjudiciis*. III. *Pigritia*. IV. *Affectibus*. Et primo quidem mentes breves, quum paucis ideis sunt imbutæ, nihil ulterius prospiciunt: putanque nihil sciri aliud posse, quam quod ipsæ sciunt. Hinc suis judiciis ita acquiescunt, ut dubitare de iis neque sciant, neque possint. Eos immo insectantur, aut rident, qui adversus eorum errores prædicant. Si idiotæ dixeris *ignem non esse calidum*, nec *nivem frigidam* cachinnatur. Si plebejo Muhammedano conaris probare *Muhammedem summum fuisse impostorem* quumque non posset alia via *summum imperium* habere, religionis specie aucupatum fuisse, irascitur, atque insectatur tanquam veritatis hostem. Uno verbo, mentes breves, nisi tu eodem modo, atque ipsæ cogitant, cogitaveris, *pertinaciter* vel irrident, vel minantur: II. Præjudicia efficiunt & ipsa, ut neque sciamus, neque possimus de iis dubitare, quæ tamdiu pro veris habuimus. Sunt autem duæ istæ causæ, *mentis brevitas*, & *obstinata* præjudiciis fides fermæ semper conjunctæ. Vide quæ superius dicta sunt de *statu fidei*.

§. IX.

III. JAm pigritia causa est, ut primis ideis, & scientiarum cortice simus contenti; ulterius inquirere vetat. Itaque pigro homini nemo tam est odiosus, quam qui ad severum atque improbum studium adhortatur. stulte vero stomachatur, si quis saniora ei prædicat. Hinc delicatuli isti Apollines

. . . . fruges consumere nati,
Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus æquo operata juventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam, (a)
postquam perfunctorie & diariis istis, ac menstruis libellis pauca & indigesta didicerunt, ad Mercurii adnarunt columnas; nil ultra est. *Quæ ignorant* (ut Æsopica olim vulpecula) *blasphemant*, ut B. Augustini verbo utar. IV. Tandem idipsum efficiunt affectus: mentem enim uni objecto defixam tenent, ita ut potis non sit aliud cogitare. I tu, & iis, qui,
Lævo suspensi loculos, tabulamque lacerto
recinunt plebeja dicta
O Cives, Cives, quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos. . . . .
Suade VERITATIS, VERÆQUE VIRTUTIS studium;
Suade ei, qui sub *Domina meretrice turpis &*
Excors vivit canis immundus, vel amicaluto sus;
Suade ei, qui in ambitione posuit *summum bonum*, quique hoc maximum credit malum, *turpem repulsam*; otiosum ridebit philosophum.

§. X.

Quærat autem aliquis, an sint ulli *certitudinis* gradus, seu, quod eodem redit, sitne certitudo certitudine certior. Video quosdam in eam propendere sententiam, certitudinem esse certitudine majorem (b) Ipse autem in Elementis Metaphysicæ scripsi, *Certitudinem gradus nullos habere, nec iis de rebus, in quibus nos certi sumus, majorem vel ipsi Deo esse certitudinem* (c). idque post Malebranchium. Sed quum eo in loco, tum in aliis opusculi illius, haud mihi placeo, exigitque ingenuitas ut fatear, me amore potius ingenii periclitandi, nec satis mature, quam serio, & destinato con-

(a) *Horat. lib. 1. cap. 7.*
(b) *Huetius in Alnet. lib. 1.*
(c) *In prim. par. Metaph. schol. prop.* VIII.

consilio, edidisse. Ergo quæstio clarius explicanda. Nam aut certitudo spectatur ut animi status, in quo qui certus est, nec dubitat de judicio, nec scit dubitare, & ea nullos habet gradus; quandoquidem si gradus statuas, dicas, oportet, minorem certitudinem cum sollicitudine aliqua esse conjunctam, adeoque quæ minor est certitudo, non esse certitudinem: aut spectatur in *securitate judicii ut veri*, & quum non omnis certitudo sit vera, ut supra est demonstratum, est certitudo certitudine perfectior. Ita quo mens capacior est, & perfectior eo judicia, quæ certa habet, securiora sunt, minusque erroris suspecta.

C A P. I.

De Scientia & fide.

§. I.

Scientiæ vocabulo intelligimus *cognitionem claram & evidentem usu rationis comparatam*. Dividi solet in scientiam *simplicis intuitionis*, & *scientiam demonstrationis*. Illa sine ullo ratiocinio habetur, cujusmodi est scientia axiomatum, *Quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia*. *Non potest idem constare ex iis quæ se mutuo destruunt*. Ejusdem naturæ est scientia eorum, quæ *intima conscientia* sine ulla ratiocinatione sentimus, ut, *Nos esse, cogitare, affectibus agitari, dolorem, aut voluptatem sentire*, & similium. Tum & scientia eorum, quæ clara sensatione percipimus, veluti *esse corpora, moveri*, ejusdemque generis alia. Hæc sine ratiocinio non acquiritur, ut est scientia theorematum, *Quadratum hypothenusæ æquale est duobus aliis, quæ in reliquis trianguli rectanguli lateribus fiunt, Corporum libere cadentium vires sunt in ratione duplicata distantiarum*, quæ non intelliguntur clare, nisi fuerint demonstrata. Vocantur præterea *Scientiæ* disciplinæ illæ, quæ conflatæ sunt ex longa serie scientiarum utriusque generis, *intuitionis* nempe & *demonstrationis*, quæque vocari solent in Philosophorum

ſcholis *habitus ſcientifici*, qualis *Geometria*, *Arithmetica* &c.

§. II.

Dubitare non poſſumus, qui ſcientia *ſimplicis intuitionis*, & *axiomatum* nobilior ſit & perfectior ſcientia *demonſtrationis*, ſeu *theorematum*, ſitque prima illa ſecurior præ iſta. Nam ſcientia theorematum non acquiritur, niſi ſerie quadam judiciorum, quorum alterum ex altero pendeat neceſſario, & in cujus progreſſionis ſingulis gradibus evidentia *ſimplicis intuitionis* retineatur. Pendet ergo hæc ſcientia a memoriæ *vivacitate* & *facilitate*: niſi enim memoria vivax & facilis ideas in ſerie illa ſuppeditat, ratiocinii nexus ſimul & claritas evaneſcit. Jam quum memoria, ut alibi dictum eſt, in hominibus ſatis magna, & clara non ſit, poſſimuſque de ejus fidelitate ſubdubitare, efficitur, ſcientiam hanc, quæ pendet a memoria, minus eſſe præſtantem, minuſque, quam prima eſt, ſecurum. Ergo Spiritus a corporibus ſegregati, ſi quæ nos longa meditatione & ratiocinatione detegimus, claro ipſi ſimplicique intuitu cernant, tanto ſunt nobis ſcientia præſtantiores, quanto nos iis ſumus in intelligendo tardiores. Ex quo etiam & illud diſcere licet, *vim ratiocinandi, longiſſimaſque demonſtrationes efficiendi*, quam tanto animi capitiſque labore acquiſitum imus, & in qua humanarum mentium præſtantiam ponimus, maximum eſſe infirmitatis humanæ argumentum.

§. III.

Scientiæ propria eſt *evidentia*, quæ quid ſit intelligitur melius, quam ullis vocabulis explicatur. Eſt autem evidentia duplex. I. *mathematica* atque *metaphyſica*. II. & *phyſica*. Illa habetur in *axiomatibus*, & *demonſtrationibus puræ intellectionis*: axiomata autem, & demonſtrationes *puræ intellectionis* voco, quæ neque Senſui, neque *Phantaſiæ* innituntur, qualia ſunt axiomata & demonſtrationes, quæ Scientiæ *abſtractæ* idcirco dictæ, in primis *Geometria*, *Algebra*, & *Metaphyſica*, ſup-

ſuppeditant. Sed eſſe aliquod diſcrimen videtur inter evidentiam *demonſtrationum puræ Metaphyſicæ*, & evidentiam *demonſtrationum* Geometriæ puræ: tenacior enim eſt hæc, diutiuſque durat: fugacior illa, evaneſcitque cito. Qui demonſtrationem legit geometricam, & dum legit claro lumine ſe illuſtrari ſentit, & poſito etiam libro diu in eodem verſatur lumine. At (quod Ciceroni obſervatum eſt (*a*),) metaphyſicæ demonſtrationes claræ videntur, perſuadentque dum leguntur, aut audiuntur, at haud diu poſt quaſi elabuntur, & diffugiunt. Ejus rei, quantum mentis acie contendo, duas reperio cauſas. I. Quod geometricæ ideæ *numeris*, aut *lineis* vivacius memoria tenentur, unde diuturnior fit evidentia: metaphyſicæ vero nullis hujuſmodi ſubſidiis colligatæ & conſtrictæ, relabente ad phantaſmata intellectu, quaſi evaneſcunt (*b*). Difficille ſane eſt mentem non ſolum a ſenſibus, verum etiam *a phantaſia* ad pura intelligibilia evehere: difficillimum vero poſtquam revocaveris ne relabatur continere. II. Quod res geometricæ maxima ex parte tales ſunt, quæ beatitudinem aut miſeriam noſtram minime ſpectant; quocirca nullis nos affectibus agitare poſſunt, qui affectus omnium maxime evidentiam infuſcant: contra vero Metaphyſicæ ea tangunt, quæ cum beatitudine vel miſeria noſtra ſunt conjuncta, *Deum* nempe, *animas*, *providentiam*, de quibus differere vix ſine commotione poſſumus; nec cum animi commotione mentis evidentia conſervari poteſt. Accedit tertia, quod notiones metaphyſicæ quum raro ſint *adæquatæ*, quietum animum vix relinquunt: itaque poſito libro ſuapte quaſi natura ad ſuſpiciones redit.

§. IV.

EVidentia *phyſica* ea eſt, quam ſenſus faciunt, veluti quum clare & diſtincte lumen & colores videmus, ſonos audimus, corpora tangimus. Quanta hæc ſit

(a) *Cicero lib.* I. *Tuſculanarum quum Platonicas memorat de* immortalitate animorum *rationes*.

(b) *Vide Maleb. in illuſtrat.*

evidentia quæsitum est. Minorem eam esse evidentia geometrica & metaphysica pronunciant Philosophi, quod verum est in iis qui mente valent. Contra vero in majore hominum parte, qui ad abstracta & pura intelligibilia non pertingunt, sensuum tantum evidentia primas habet partes; altera illa evidentia despicatui est. Bellum igitur video inter *Philosophos* & *Populum*: illi nimium dejiciunt sensus, horumque evidentiam præ mentis evidentia nihili faciunt: iste *lymphatos* illos, *bacchantes*, *fanaticos*, nullius pretii homines habet. Videntur utrique peccare, ejus immemores, UT NE QUID NIMIS; Sed crassius isti, & stupidius, qui, quæ non intelligunt, rident: quibus si illud, salse quidem, sed vere. *Ne ultra crepidas sutor*, dixeris, subirascuntur. Adeo qui veniat ingenio cedere rarus est!

Jam duplicem hanc evidentiam duplex comitatur certitudo. Sed quæ geometricam & metaphysicam evidentiam sequitur certitudo, longe securior est, minus hæc, quæ a sensibus nascitur.

§. V.

SEquitur *fides*. Ei vocabulo non eandem affigunt Philosophi Ethici notionem, quam Theologi, & Logici. Illis enim fides est *dictorum*, *conventorumque constantia*, & *veritas* (a). At fidem vocant Logici, & Theologi *aliquid pro vero tenere*, *non quod ipsi id percipiamus*, *sed quod nobis narretur ab eo*, *cujus quum scientia*, *tum bonitas magna apud nos est*. Itaque *scire*, & *credere* in hoc longe apud hos differunt, quod ea *scire* dicamur, quæ aut *sensus*, aut *intima conscientia*, aut *ratiocinium* exhibent: credere vero dicamur ea, quæ nec *sensus*, nec *intima conscientia*, nec *ratiocinium*, sed alterius autoritas persuadet. Quum autem auctoritas pendeat ab opinione *scientiæ*, & *probitatis* ejus, qui narrat, quo major hæc est opinio, eo majorem habet apud nos pondus auctoritas, fidemque firmiorem gignit; debiliorem vero, quo est minor: ut certam facit auctoritas ejus, qui nec falli potest, nec fallere, cujusmodi est Deus. Sed

(a) *Cic.* I. *de off. cap.* VIII.

Sed de pondere auctoritatis in sequente libro commodior erit dicendi locus.

§. VI.

VUlgatum est adagium, *fides est credere quæ non vides*, idest quæ minime mente comprehendis. *Invisibilium* esse fidem ipse docet Paulus Apostolus: sed & Malebranchius (*a*) scripsit earum rerum quæ fide tantum tenentur *nullas nos habere ideas*: quamquam deinde ita interpretatus est, ut nullas habere nos *claras ideas* creditarum rerum, præsertim mysteriorum fidei diceret (*b*). Revera si nullas haberemus earum rerum, quas credimus, ideas, vocabulum credere *nihil* esset, idest, qui *credere* aliquid diceretur verba effunderet, nihil interim ipse animo versans, nisi *verba*. B. Augustinus alicubi *credere* vocat *cogitare cum assensione*: quod scilicet qui alicui rei *assentitur*, alterius motus auctoritate, quæ est *fides*, ejus rei informatam animo notionem habeat oportet. At dicet aliquis, si quæ credimus intelligamus oportet, *scientia* & *fides* non distabunt. Falso. Scientiæ enim hoc est proprium, ut non solum *subjecti*, & *prædicati* propositionis, quam *scio*, claram habeam ideam, verum etiam clare percipiam eorum connexionem: at in fide habeam quidem notionem subjecti & prædicati oportet, sed qualemcumque: connexionem vero non ipse videam, ut in scientia, sed esse supponam, quod alter dicat, quem scio non mentiri, nec falli. E. g. puer habet ideam *laterum*, & *diagonalis* parallelogrammi; habet præterea ideam *commensurabilitatis*, aut *incomensurabilitatis*: quid sibi hæc vocabula volunt intelligit: at fortassis non intelliget, qui *latus*, & *diagonalis* parallelogrammi sint *incommensurabilia*: si id (quod Geometra dicat) verum teneat, tum credit. Eodem modo nos qualemcumque habemus *Dei* notionem: habemus porro claram notionem horum vocabulorum *tres personæ*; sed id non intelligimus: qua ratione *tres personæ*, & *unus Deus sint idem*: quoniam autem id Deus

(a) *Lib.* 1. *de inquir. verit. cap.* 3.
(b) *In illustrat. ad cap.* 3. *libri* 1.

Deus ipse nos docet, verum id teneamus, etiamsi ipsi non intelligimus, atque ita *credimus*. Qua ex re patet, quod ut credamus habere debeamus qualemcumque *subjecti* & *attributi* propositionis notionem, nullam vero, aut obscuram & confusam tantum eorum connexionis, de qua auctoritate docemur ejus, cui credimus. Unde & hoc etiam patet non posse nos eamdem propositionem *scire* & *credere*: qui enim scit ipse videt: qui credit, non videt connexionem idearum: quæ duo in eodem intellectu se destruunt. Mirum est eos,

Qui tam rixantur de lana sæpe caprina (a)

ea de re sic contendere pugnacissime.

§. VII.

Sed quamquam *scientia* & *fides* eadem de re simul esse in mente non possunt; id minime prohibet, quin dicamus, auctoritatem atque fidem plerumque posse securiorem efficere *scientiam*, idest *claram evidentemque* perceptionem. Quod ut intelligatur, illud statuendum est, *credere* esse *uti auctoritate* vel ut suppleamus rationem nostram, ei substituendo præstantiorem; vel ut rationem nostram, de cujus imbecillitate subdubitare possumus, præstantioris rationis ope confirmemus. Paucis, credere nihil est aliud, nisi *superiorem* rationem inferiori aut *substituere*, aut *addere*. Enimvero nemo credit ei, qui eum rei, de qua agitur, se ignorantiorem putat. Si is mihi paradoxum aliquod philosophicum pronunciat, qui obtusioris etiam pectoris, quam ego sim, apud me est, idque per *Sanctum juratus Osirim* testatur, non credam: at credam, si is pronunciat, cujus sapientiæ opinio magna mihi est. Id quum sit, qui agnoscit mentis suæ capacitatem esse brevem, quamquam aliquid clare & evidenter percipit, potest tamen subdubitare fallatur nec ne in ipsa clara & distincta perceptione. At si audiat idem ab eo confirmari, qui aut capacior sit mente, aut infinite intelligens & sapiens, scientiam suam aut securiorem, aut securissimam efficit, non quidem præstantiorem rationem suæ substituendo, quo suam suppleat (id enim fit, quum

(a) *Horat.*

quum intelligere ipsi rem nequimus, ideft in puræ fidei ftatu) fed præftantiorem fuæ addendo, quo fuam confirmet. Explicemus hoc exemplis. Adolefcens Geometra, datis duabus lineis A, B, videtur fibi reperiiffe tertiam proportionalem C. de demonftratione non dubitat: at fubdubitare poteft ne brevitate mentis fiat, ut nequeat agnofcere, qua in re demonftratio fua laboret fortaffis. Is fi audiat præclariffimos Geometras ratam folidamque eam habere demonftrationem, fcientiam fuam fide confirmat. Eodem modo omnes homines, qui recta ratione utuntur, agnofcunt Deum ita effe bonum, ut nequeat non amare hominum beatitudinem. Idipfum vero quum a Deo revelatum difcunt, fcientiam divina auctoritate confirmant, ideft humanæ rationi, quæ falli poteft, fupremam Dei rationem, quæ nequit falli, addunt, quo eam confirment.

C A P. III.

An ullam habeant homines veritatis Logica tesseram.

§. I.

Quid fit veritas, quam *logicam* dicimus, in primo hujus libri capite explicatum eft. Nunc magna res quæritur, fit ne aliqua veritatis logicæ *teffera*, & quænam? Quod eodem recidit, quo tandem argumento tuti effe poffimus, ea, quæ affirmate judicamus, fic fe habere, ut judicamus, nulloque pacto in iis nos decipi? Academiæ hæc erat fententia, *nulla effe, quæ ut vera affirmare poffimus: effe vero multa probabilia, ideft quæ ad verum quamproxime accedant, quæ fequi facile fit* (*a*). Sed ad furorem ufque *acatalepfiam* hanc fuam provexerunt Pyrrhonici, & pofitos ab Accademicis terminos longe prætergreffi fuerunt, nullamque effe rationem veri a falfo difcernendi contenderunt (*b*). Ego vix mihi perfuaferim

(a) *Legatur Cicero lib. II. Academicarum quæftion.*

(b) *Hiftoriam fcepticifmi fcripferunt Gaffendus, Gravius in* Specimine philofophiæ veteris *lib. I.*, *Joannes Francifcus Buddeus in* differt. *de* Scepticifmo morali &c.

Sce-

rim fuisse usquam, aut hodieque esse, qui sic furere valeant, ut ex animo dicant, *nihil omninò nos scire*. At si qui revera sunt, eos non monitoris, nec doctoris, sed tutoris ab Judice dati egere censeo: nam nisi hæc manifesta sit phrænesis, fateor ne *non sanum* quidem Orestem furentem errasse. Interim verum est, bonam eorum partem, quæ non vulgus modo, sed plerique eorum, qui ad *unam quampiam sectam quasi tempestate delati, ad eam tamquam ad saxum adhærescunt* (a), audacter affirmant, falsam esse, aut dubiam. Quod qui agnoscit, non is quum Scepticis furit, ut imperitum judicat vulgus, sed

Et sapit, & mecum facit, & Jove judicat æquo.

Quamobrem licet ignorantiæ vertat, si qui vult, *plus apud me tamen vera ratio valebit, quam vulgi opinio* (b).

§. II.

JAm quum multa tuto a nobis affirmari concedam, illud pervestigandum modo est, quæ sit veri atque tuti alicujus judicii *tessera*. Epicurei tria videntur hujusmodi criteria statuisse, *sensionem* in iis quæ sensibus percipimus: *prænotionem*, in iis quæ mente intelligimus: *affectionem* in bonis aut malis vitæ dignoscendis. I. Quum sen-

Scepticorum causam egerunt ex veteribus Cicero in Academicis quæst. & Sextus Empiricus quum in libris adversus Mathematicos, tum in libris hypotyposeon. Ex novis Philosophis Henricus Cornelius Agrippa de vanitate & incertitudine Scientiarum, *Franciscus Sanchez*, de multum nobili & prima universali scientia, quod nihil scitur *Lugduni* 1581. 4. *Daniel Huetius in* Tractatu philosophico *de* imbecillitate humani intellectus *Gallice Amstelædami* 1723. 8. *Petrus Bælius in pluribus dict. locis, præsertim art. Pyrrho, Hieronim. Hirnaim, aliique; Nemo autem doctius eos confutavit, quam Petrus de Villemandy in* scepticismo debellato *Lugduni Batavorum* 1697. 4. *sed & nos adversus Scepticos disputavimus in Metaphysica, & in* Appendice ad priorem metaphysicæ partem dialogo II.

(a) *Tullius. II. Ac. quæst.*

(b) *Cicero in paradoxo primo.*

ſenſus falli nequeant ex Epicureorum ſententia, quæcunque clare & diſtincte ſenſibus percipimus ea vere eſſe affirmant. Sed demonſtratum eſt in primo libro nos in pluribus a ſenſu dicipi: minus ergo tutum hoc criterium videtur. II. Prænotio clara & diſtincta certos facere nos debet ſecundum Epicureos: nam ea pendet a ſenſibus, qui, ut clamant, falli nequeunt. Hac de re paullo poſt. Tandem *bona vitæ* ex Epicureorum doctrina, ſunt quæ voluptatem afferunt, *mala*, quæ dolorem: voluptatem autem aut dolorem *ipſa affectione* cognoſcimus. Quod verum eſt. Sed quoniam nec voluptates omnes ſunt bonæ vitæ, nec omnes dolores mali, ut ipſe agnoſcebat Epicurus, eſt in conſilium adhibenda ratio, ne promiſcue aut voluptates omnes adoptemus pro bonis, aut omnes dolores pro malis refugiamus. Nam quid ſanctius hoc?

Sperne voluptates; nocet emta dolore voluptas (*a*).

Nullam dicebat Archytas Tarentinus (*b*) *capitaliorem peſtem, quam corporis voluptatem hominibus a natura datam. Hinc Patriæ proditiones, hinc rerumpublicarum everſiones. Nullum denique ſcelus, nullum malum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret*. Jam vero quid iis gravius.

O Paſſi graviora, dabit Deus his quoque finem.
. . . . forſan & hæc olim meminiſſe juvabit,
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis (*c*).

§. III.

Recentiores philoſophi ſecundum Carteſium, unicum *veri* & certi judicium ſtatuunt, *claram & diſtinctam perceptionem*: quod & Stoici olim, & Peripatetici docuerunt, niſi id dicere malimus ab Adamo uſque hominum omnium eum fuiſſe communem ſenſum, *vera eſſe quæ vera* clare & diſtincte viderentur. Carteſius (*d*) hoc potiſſimum ratiocinio id firmabat, quod

(a) *Horat.*
(b) *Apud Cicer. de ſeneƈt.*
(c) *Virg. in primo Æn.*
(d) *Meditatione*. v. *de prim. phil.*

quod nisi quæ clare, & distincte percipimus sunt vera, videtur Deus genius quidam esse malignus, qui ita nos fecerit, ut nihil scire possimus, quique erroribus nostris delectetur, quod impium est suspicari. Ei argumento non omne inesse pondus censet Huetius; facile enim reponet Academicus, satis esse, ut Deo sua constet bonitas, si nos ita effecerit, ut multa *probabiliter* & *verisimiliter* cognoscamus, quod his probe omnia *officia* præstare possimus. Nicolaus Malebranchius (*a*) *claræ* huic & *distinctæ* perceptioni adjecit & *conscientiam*, eaque in re hunc præscripsit Canonem:

Ne assensum plenum unquam præbeas, nisi propositionibus adeo evidenter veris, ut illum sine interno quodam cruciatu tacitoque rationis murmure non possis denegare; idest, nisi clare intelligas, te libertate tua perperam usurum, si assensum tuum denegares.

Sed an idcirco, quod iis, quæ *clare* & *distincte* cognosco denegare assensum nequeam, certus ero me non falli? Id est in quæstione. *Claritas* & *evidentia* suapte natura mentem ad assensum impellunt; nullam habemus libertatem evidentiæ assensum denegandi, non magis quam non videndi colores, dum Sol cuncta illustrat, & oculi sunt aperti. Id nemo it inficias. Sed quod quærimus est, an evidentia *veritatis sit tessera*, non vero an nos cogat. Atque omnino affirmandum est. Evidentia *clarum* est veritatis *insigne*. Quæris, quibus id argumentis probem? probarem si evidentiam haberem evidentia evidentiorem: omnis enim demonstratio *ab evidentibus est ad inevidentia*. Nunc quando nihil est ipsa evidentia evidentius, qui quærit ut hoc probem, is evidentiam non esse evidentiam fatetur. Ipsa igitur evidentia, ubicumqne affulserit (nam affulget in paucis) sui argumentum est & testis.

§. IV.

ILlud videtur explicatu difficilius, quis esse testis debeat hujus evidentiæ. Nam experimento scimus quosdam esse, qui, dum patentes errores defendunt,

(a) *Lib.* 1. *cap.* 2. *§.* IV.

dunt; ab evidentia se duci clamant. Populus non dubitat asserere se evidenter percipere colorem esse in igne, colores, & res coloratas extra se videre, quum Philosophi demonstrent calorem, atque colores esse affectiones nostras, resque omnes corporeas non videri extra nos, seu per *extramissionem vis alicujus visivæ*, ut loquuntur, sed intra nos in ideis nostris, idest in rerum ipsarum imaginibus. Quot æternas discordias *ephimera* hæc evidentia produxit? easque non inter plebejos modo, sed inter ipsos in primis, qui *sapientes* appellantur. Ego ad duos potissimum judices appellaverim. I. ad *Conscientiam*. II. ad *Sensum* optimorum *Communem*. Appellandum est autem ad conscientiam pacatam, & ab omni affectu purgatam. Facile est enim, dum animus affectu turbatur, falsa evidentiæ specie decipi. Defæcatam hanc conscientiam attente quisque consultat. Si id fiet, plures erunt, qui, quæ jam evidentia putabant, obscura fatebuntur. Deinde *a conscientia* ipsa appellandum est ad SENSUM optimorum COMMUNEM. *Tum igitur putato te ab evidentia falli non posse, quum omnes ii, qui sana ratione utuntur, eandem in eadem re evidentiam agnoscunt*. Qui vero clamant mentem esse *brevem*, *posse nos in ipsa evidentia falli*, ac proinde *serio* esse de omnibus dubitandum, ii velut extra sensum hominum communem positi, linea induti veste Medicum, non Doctorem consulant. Nempe brevitas & imbecillitas mentis hoc efficere possunt, ut ne omnia evidenter percipiamus; ut ne simul plura: at minime prohibent, quin quædam *clare* intelligamus. Quo modo oculorum brevis vis efficit quidem ut ne distantiora objecta videamus, non ut nihil. Quod si idcirco quod non omnia clare percipimus, nihil omnino nos percipere isti volunt, dicant etiam se nihil videre, quod non omnia videant. Quid autem est aliud impudentissime hominum patientia abuti?

§. V.

Hac autem doctrina semel præstabilita, non admodum erit difficile judicare, quæ propositiones

sint

ſint veræ, quæ falſæ. Propoſitionum theoreticarum duo hoc in loco genera ſtatuimus, *axiomata* & *theoremata*. Axiomata ſunt propoſitiones illæ quarum veritas *ſimplici intuitione* cernitur, ut ſi *æqualibus æqualia addas omnia erunt æqualia*, & ceteræ omnes, quæ aut rerum *exiſtentiam*, aut *eſſentiam*, aut *relationes* ſpectant, ſeu earum veritas *ſenſu*, ſeu *intima conſcientia*, ſeu *pura intelligentia* perſpicitur. Perſpicitur autem *ſimplici intuitu* hæc veritas, quum uno intuitu evidenter cernimus *attributum* contineri in *ſubjecto*, quod evenit in *propoſitionibus affirmantibus*; aut *attributum* & *ſubjectum* eſſe contraria, quod in negantibus contingit. Nam ſi evidentia *teſſera* eſt veri, quotieſcumque evidenter percipitur A contineri in B, verum erit, A eſt B: aut ſi percipiatur evidenter A eſſe contrarium B, verum erit; A non eſt B. Theoremata dici ſolent propoſitiones, quarum veritas primo intuitu non cernitur, ut *parallelogramma in eadem baſi, & intra eaſdem parallelas poſita ſunt æqualia &c.* Ad horum veritatem percipiendam judiciorum & ratiocinationis ſerie opus eſt. Ergo tum dicentur vera, quum ope ratiocinii evidenter percipitur theorematum attributa contineri in ſubjectis, ſi quidem fuerint affirmantia, aut iis eſſe contraria, ſi fuerint negantia.

§. VI.

NE igitur poſthac dubitator, *Evidentiam ſenſus communis* veri eſſe teſſeram. Qui ſecus faciunt, næ ii peſſime ſibi, Reipublicæque litterariæ conſulunt. Sed quum evidentia ſit duplex *phyſica*, & *Mathematica*, prior quidem in rebus intelligibilibus, poſterior in corporeis adhibebitur. Inique enim ii agunt, qui aut priorem in *intelligibilibus*, aut poſteriorem in *corporeis* exigunt. Præpoſterus, inquit B. Auguſtinus, hic eſt ratiocinandi modus, ut velimus *intelligibilia* ſentire, corpora intelligere. Nec ſane minus peccabant Platonici qui *mathematicam evidentiam* exigebant *in phyſicis*, quam Epicurei qui ad *phyſicam* appellabant in intelligibilibus; *quique nihil putabant eſſe, niſi quod oculis contuebantur* (a). Quid inquit ali-

(a) *Lactant. lib.* VII. *cap.* IX.

aliquis, si altera alteri adversetur, si utrique vel alterutri *humana* vel *divina* auctoritas? Nempe hos sectabitur canones.

I. *Si mathematicæ Evidentiæ physica adversetur, fallax habetor physica; est enim hæc minor, cui proinde valedicere, quam de mathematica subdubitare, quæ summa est, par est.*

Fingamus (quamquam id falsum reputo) mathematica evidentia demonstrari, terram moveri, si quis sensuum evidentiam reponeret, non esset audiendus, nisi minorem majori evidentiæ præferre velimus.

II. *Si mathematicæ mathematica, physicæ phisica evidentia adversari videatur, alterutra habeator fallax.* Ita quum demonstratio demonstrationi, experimento opponitur experimentum, alterutrum fallat oportet. Sed hic est casus in quo *sensus optimorum* communis consulendus est.

III. *Si Mathematicæ, aut Phisicæ evidentiæ fides humana repugnet, huic valedicito.* Nam conferri cum iis nec dignitate, nec securitate potest.

IV. *Si Phisicæ evidentiæ refragetur Dei clara autoritas, fallax habetor sensus. Clara* enim Dei autoritas ipsa est Dei ratio, quæ omnino sensuum nostrorum evidentiæ præponenda, aut potius substituenda est. *Claram* dixi Dei autoritatem: nam nisi sit clara, possimusq; de genuino ejus sensu subdubitare, nondum ab evidentia physica discedendum.

V. *Mathematicæ evidentiæ clara Dei autoritas refragari nequit.*

Refragetur: quum Dei autoritas sit suprema ratio, adeoque certissima; omnino erit vera: falsa ergo mathematica erit evidentia, nec idcirco *veri* erit tessera. Quod quum esse nequeat (ex superioribus); sequitur alteram alteri adversari non posse.

VI. *Si mathematicæ evidentiæ adversari videatur Dei autoritas, aut illa evidentia non est, licet jactetur, aut hæc non intelligitur. Ergo ut illa perpendatur* sensus communis; *ut hæc clare intelligatur* Ecclesia *est consulenda*. Nam ut sensus communis evidentiæ est judex, ita divinæ autoritatis interpretandæ magistra est Ecclesia, *cui eloquia Dei concredita sunt.*

§. VII.

Eorum nunc examinanda est opinio, qui quum nullam in humana ratione veri *tesseram* vident, tum solam Dei autoritatem certam esse docent, in qua, præter alios, fuit nuper vir adprime doctus Petrus Daniel Huetius (*a*). Eam opinionem & falsam reputo, & religioni perniciosam. Qua de re quamquam dictum est paulo uberius in *Appedice ad priorem Metaphisicæ partem*, hic tamen locus exigit ut paucis saltem differamus. Quod ea opinio sit falsa ex superioribus patet. Quod sit Religioni perniciosa hinc disci potest, quod sublata omni rationis humanæ certitudine, ipsius divinæ revelationis autoritas evertitur. Nam si ratio nihil certi nec de Deo, nec de mundi origine docet qui ad revelationem adpellat, aut ad Judicem appellat, quem omnino ignorat; aut ad *privatum* cujusque *spiritum* confugit, & *fanatismum* inducit, quo nullus est error qui impune adseri & defendi nequeat. Non nego Prophetas, Dum Dei Numine erant afflati, nullo alio indiguisse argumento, quo convincerentur sibi Deum loqui: at non omnes erant prophetæ. Maxima ergo tum hominum pars nihil sciebant: ut hodie, quum aut rari, aut nulli sint prophetæ, pene omnes in omnium rerum ignoratione versentur necesse est. Quicumque igitur hanc sententiam tuentur, dum nimium rationem Religionis ergo deprimunt, imprudenter licet, sed evertunt tamen primum Religionis fulcrum, nosque in fœdissimum pyrrhonismum dejiciunt.

§. VIII.

Ii nunc restant, quibuscum congrediamur, qui non aliam ob rem humanam rationem veri tesseram ponunt, nisi quod ea sit ipsissima Dei ratio. Pythagoreorum ea & Stoicorum fuit sententia mentem nostram partem esse Mentis divinæ: ex quo non poterat non consequi quod Cato apud Lucanum lib. VII. declamat,

Nil

(a) *In Alnetanis lib.* I. *&* *in opusculo anonymo* de imbecillitate mentis humanæ.

Nil facimus non sponte Dei: nec vocibus ullis
Numen eget: dixitque semel nascentibus Autor
Quicquid scire licet. Steriles ne elegit harenas
Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum?
Est ne Dei Sedes nisi terra, & pontus, & aer,
Et Cœlum, & virtus? Superos quid quærimus ultra:
Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Arripuere id recentiores Pantheistæ & Fanatici. Spinoza (*a*) idcirco prophetiam & cognitionem naturalem miscuit: *Prophetia est*, inquit, *rei alicujus certa Cognitio a Deo hominibus revelata. Ex tradita*, pergit homo nefarius, *definitione sequitur, cognitionem naturalem prophetiam vocari posse: nam ea quæ lumine naturali cognoscimus a sola Dei cognitione, ejusque æternis decretis dependent... ea jure divina vocari potest, quatenus de ea participamus.* Eodem redeunt quæ Fanaticorum ille Princeps Petrus Poiretus (*b*) scripsit: *Deus*, inquit, *omnipotens sui LUMINIS SUBSTANTIALIS scintillam aliquam in tenebrosum hominis fundum jaculatus est, & quasi eidem incorporavit.... Est hæc divini luminis scintilla ipsum illud substantiale Dei lumen, æternumque verbum.... in centro animæ, pro modulo ejus, ut sic dicam, fixatum.* Quæ adeo sunt portentosa, ut qui velit refellere, is etiam cum ratione insanire amat. Nam Dei ratio simplex est & infinita: partiri ergo nequit: ergo ubicumque adest, eadem est. Quod si ratio nostra ipsa est Dei ratio, nulla ignorabimus: infinitæ enim rationi omnia aperta sunt. An quisquam est adeo amens, ut hunc in modum sibi aduletur, persuadeatque sibi, nihil esse, quod ignoret?

Platonici autem alia ratione hæc explicuerunt. Dei radio quodam mentem illuminari, in eoque nos veritates cernere Plotinus, & Jamblicus scribunt. Iis accessit B. Augustinus pluribus in locis, præsertim vero in libro *de Magistro*, in quo id ex instituto agit, ut probet, *Deum tantum nos docere veritatem posse, nos intrinsecus allo-*

(a) *Tract. Theopol. cap.* 1. *pag.* 1. & 2. *apud Huetium in Alnetan. lib.* 1.

(b) *Fides & ratio collatæ* §. 144. & 146.

quendo, idque in libris de *Retractatione* confirmat, ut ſcire poſſimus ei ſententiæ & ſenem adhæſiſſe. Jam Nicolai Malebranchii opinio eſt, *Mentem noſtram νοϊοι Deo conjungi*, *atque in Dei idea atque lumine omnia percipere*. Quæ ſi vera ſunt, non video qui cæcutire homines, hallucinari, errare poſſint. Non video quid diſcriminis interſit inter mortalium, & beatorum ſtatum (*a*). Hæc Malebranchii ſententia adeo portentoſa Gallis viſa eſt, ut publice jactaverint, mirum eſſe Malebranchium omnia in Deo videre præterquam hoc, quod ſolemnia inſaniat: ſed dicam gallice & elegantius,

Lui qui voit tout en Dieu, n'y voit pas, qu'il eſt fou. (*b*).

CAP. IV.

Quæ viæ ſint homini propoſitæ ad ſapientiam comparandam, eæque viæ explicatæ generatim.

§. I.

Quatuor omnino videntur homini viæ ad ſapientiam comparandam propoſitæ, *auctoritas*, *experimenta ſenſuum externorum*, *intima conſcientia*, & *ratiocinium*: his enim ratio humana innititur: eæ cognoſcendi principia ſuppeditant. Nihil omnino a nobis ſciri poteſt, quod ex quatuor illis fontibus non manet. Ergo Logicus noſter ita animo conformandus eſt, ut promptus ſit atque expeditus, ſicubi uſus fuerit, ad quatuor illos fontes rite verſandos, quo inde argumenta ad verum inveſtigandum aut confirmandum idonea agiliter dextereque haurire poſſit. Atque ad hoc potiſſimum Logica facultas comparatur, idque præſertim promittunt Logici. Nos priuſquam philoſophum in his inſtruamus, atque exerceamus ſingillitatim, pauca generatim.

§. II.

(a) *Malebranchium refellit ex inſtituto Lokius in* examen del ſentimant del P. Mallebranche &c. *tom.* 11. *operum ejus diverſorum*.

(b) *Joan. Arduinus* Athei detecti *pag.* 43.

§. II.

QUæcumque scire possumus sunt aut *externa*, aut *interna*: externa vero, aut *sensibus subjecta*, aut *non*: præterea quæ sensibus non sunt subjecta, aut *capacitati mentis nostræ sunt accomodata*, aut *eam excedunt*. Quæ cuique sunt intrinseca *intima conscientia*, *sensu*, *natura* percipiuntur, cujusmodi sunt, *nos percipere*: *clare*, aut *obscure percipere*: *velle*, aut *aversari*: *dolorem*, aut *voluptatem sentire*: *amore*, aut *ira agitari*; uno verbo, quæcumque ad *hominem*, ut Platonici loquuntur, *interiorem* pertinent. In his nec externorum sensuum experimenta, nec auctoritatem consulere oportet: eorum quilibet sibi testis est luculentissimus. Sed quum plurima intima conscientia percipiamus, quæ ab occultis in *natura nostra* causis proficiscuntur, in his causis investigandis recte utimur quum primis acri rationis indagine, tum etiam eorum, qui acutius naturam introspexere humanam, auctoritate, Dei potissimum, ubi, quæ ad interiorem hominis naturam spectat, is manifestavit, idque tutissime, quandoquidem is tantum *hominum renes & corda scrutatur*: ei tantum naturæ omnes *aperte patent & nudæ*.

§. III.

QUæ sunt *externa*, & *sensibus* subjecta solis sensuum experimentis perdiscenda sunt. In ea intima conscientia provinciam suam non extendit. Autoritas in his locum habere non debet nisi, aut quum ipsi experimenta instituere nequimus, veluti si aut distantia, aut præterita sint: aut quum, quæ ipsi observavimus, aut experti sumus, *communi aliorum sensu* confirmare volumus, quod ubi fieri commode potest faciendum est semper; quippe nulla in re errare homines facilius possunt & solent, quam in sensuum experimentis, aut observationibus. Quod si *hæc externa* minime sint sensibus subjecta, ut *Spiritus*, *animæ*, *Vires activæ atque genitrices*, *phænomenorum causæ*, & similia, tum ad *ratiocinium* & *conjecturam* confugiendum est. Tandem quæ captum mentis no-

nostræ excedunt, sola *auctoritate* pervestiganda sunt, si qua hæc alicubi præsidium præstat. Uti enim auctoritate, est uti *perfectiore ratione*, eam nostræ substituendo, aut ejus ope nostram adjuvando, uti supra explicitum est. Quod si & hoc auctoritatis desit præsidium, relinquenda, ne in deridiculos delabamur errores.

Modulo ergo se quisquam metiatur.

§. IV.

UT autem his propositis homini ad sapientiam viis rite utamur, duo potissimum caute servanda sunt. I. ut notiones, quas *Autoritas*, *Sensus Conscientia* suppeditant, *justæ* sint, saltem ut *quantæ* sint & *quales* justo judicio æstimetur. II. Ut ex iis notionibus ea deducamus consequentia, quæ cum illis necessariam habent connexionem: aut si hanc necessariam connexionem non videmus, sincere fateamur, quanta cum probabilitate ex hujusmodi principiis consequentia ista deducantur. Et quod spectat ad primum, notiones Autoritatis, Sensus, Conscientiæ esse possunt aut claræ, distinctæ, adæquatæ; aut obscuræ, confusæ, inadæquatæ. Ergo quales sunt omnium primum philosophus examinare debet; perspicereque quatenus objectis suis conformes sunt, aut ab iis difformes. Quod nisi in omni aut investigatione, aut disputatione efficit, aut ignorabit ipse quid inde deducendum sit, aut falsa plurima, vel dubia saltem, & ambigua velut vera & certa ex notionibus hujusmodi concludet. Deinde *quanquam ex principiis veris nihil potest sequi nisi verum*, tamen, nisi ars ratiocinandi adhibeatur, etiam ex veris deducere falsa possumus. Narrat Plutarchus Sacerdotes Ægyptios observasse *lampadas Templorum æque crassis ellychniis singulis annis majorem olei mensuram consumere*. Ponamus hoc verum fuisse phænomenon, quanquam non dubito ab avaritia Sacerdotum excogitatum fuisse. Potest id ex pluribus causis nasci; olei crassitie, vel subtilitate; ellychnii textura, aeris temperie, adeoque majori vel minori gravitatione. At Ægyptii rem inde miram concludebant, *Solem* nempe *in* annuo motu tardiorem factum. Ex re vera falsum

de-

deducere poterant. Quod autem de autoritatis notionibus dico, id generatim de omnibus aliis dictum putato. Sed ea paucis comprehendamus præceptis.

I. *Nullas habent alias sibi propositas vias discendi philosophi, præter has quatuor Auctoritatem, Sensus externos, Conscientiam, Ratiocinium & conjecturam. Per diligenter ergo eas excolunto, atque versanto.*

II. *Horum ne prætergrediuntor provincias: Sciunto quæ sensu, non intelligentia, quæ intelligentia non sensu; quæ neutro discenda sint, limites probe servanto.*

III. *Notiones primum, quas inde hauriunt, perpendunto, atque metiuntor: veræ ne sint, an a vero distent, atque quatenus; pervidento.*

IV. *Artem sibi longo exercitio comparanto, qua ex principiis suis justa derivare valeant consequentia, ut nempe ne falsis vera, ex probabilibus certa, ex ambiguis perspicua confidenter deducant: utque talia esse consequentia scire discant, qualia sunt, unde nascuntur, principia. Uno verbo ut singula suo pondere æstimare valeant.*



ARTIS LOGICOCRITICÆ

LIBER IV.

De usu Auctoritatis, & arte Critica.



Erspicuum est homines sine *usu rationis* nasci: sed nec minus est perspicuum, *sine usu rationis* in tota ferme versari infantia, &, quæ primum discunt, non ratione ulla, sed præjudiciis *sensuum* & *autoritatis* discere, sensuumque, & autoritatis imperium omnem antevertere rationem. Quinimo nequeunt infantes his non uti magistris. Quum enim recte ratiocinandi nondum intelligant usum, si spretis sensibus, & autoritate ad ratiocinium confugiunt, aut, quoniam eo uti nesciunt, perpetuo ignari vivunt; aut, quod *recte* uti nesciunt, in infinitos errores præcipites eunt. *divina igitur providentia & ineffabili beneficienda geritur* (inquit apposite B. Augustinus (*a*)) *animæ medicina, dum autoritas præcedit, & rationi præparat hominem*. Ea ergo gravissima est ratio, cur omnium primum philosophum nostrum, quem ad rectam sapientiæ investigationem pedetentim ducimus, in genuino autoritatis sensuum, aut magistrorum usu exercendum putemus. Accedit eodem, quod homines ipsi adulti plura sensuum, & autoritatis usu, quam meditatione & ratiocinio, discunt: ergo nisi ita instruuntur, ut rite & sensibus, & autoritate uti sciant, tota sunt vita in errore versaturi.

CA-

(a) *Aug. de vera Religione.*

C A P. I.

De recto sensuum usu, deque sensuum provincia, & de experimentis atque observationibus rite instituendis.

§. I.

PLurima, quæ sensuum usum spectant, in primo horum elementorum libro sunt explicita. Quæ restant, heic paucis. Sensibus *externa & corporea percipimus*, ut supra monitum. Ergo his tantum in rebus sunt adhibendi: in ceteris coercendi. Sed in externis & corporeis quatuor considerari possunt. I. Existentia. II. Qualitates, III Relationes. IV. Essentia. Corporis alicujus essentia posita est in *unione indivisibili omnium essentialium*. Eorum si unum ignoretur, tota ignoratur *essentia*. Quum *sensus* omnia hæc corporum *essentialia* nec referant, nec referre possint, quandoquidem iis negatum *intima* corporum inspicere, pluraque fortassis sunt in corporibus, quæ sensibus non sunt subjecta; *essentias* corporum sensus deferre nequeunt. Quocirca duo hinc sequuntur Canones,

I. *Caveto ne de corporum essentia, intimaque natura, & constitutione solo sensuum testimonio judices. Putato aliquid semper esse in quolibet corpore, quod tu nec perspicis, nec perspicere ullo pacto potes.*

II. *Sic habeto, posse a rebus corporeis prodire effecta, quorum tu nullas in iis cernere causas possis, idcirco quod plura in corporum natura latent. Non igitur hæc statim* supernaturalia *appellato. Quære potius abditas in corporum natura causas. Præterea ne eos temere* magos *& dæmoniacos æstimato qui in corporibus mira efficiunt. Esse omnium horum possunt in* Natura *caussæ*. Ex. g. Si *Sanguis pluat*, si *lapides*; si *bos loquatur*; si *discurrentes in Cœlo armatorum acies* appareant, &c. non statim concludendum est esse *divina*. Possunt ea quidem divinitus fieri, uti & plerumque facta non dubitamus: at possunt etiam esse naturalia. Divina ergo non sunt

pu-

putanda, nisi aut quum aliunde constat esse divina, aut quum certi sumus non posse a natura prodire. Alioquin pro divinis habebimus naturalia phænomena, quod superstitiose factum a Gentilibus legimus. Legatur Sturmius de meteoris in *Physica Electiva*, & Albertus Fabricius in dissertatione *de Cruce Constantino visa*.

§. II.

IN corporum existentia dignoscenda sensus proprii sunt judices, iique certi. Sensus enim organa sunt *corporea* & *necessaria*: nimirum non moventur nisi extrinsecus, & *tactu*: tangi autem corpora non possunt nisi a corporeis; ergo ex tactu tuto de corporum existentia judicamus. Quocirca ea corpora, a quibus nullo modo tangi nec *lumine*, nec *sono*, nec ulla alia via possumus, *conjicere* quidem licet existere, si eorum ulli effectus in iis appareant corporibus, quæ sensui patent; at *sentiri*, idest sensibus percipi, nequeunt. Non igitur eos probo, qui ex *ideis corporum* eorum existentiam demonstrare conantur (*a*): ideæ enim res aut *possibiles*, aut *existentes*, non necessario existentes deferunt. Quam ob rem, si *possibilia* esse possunt idearum objecta, non statim concludi potest existere. Jam quum sensus nec nimium pateant, & paulo sint crassiores: efficitur ut plurima esse possint corpora, corporumque qualitates, quæ aut præ *distantia*, aut præ *exiguitate* lateant. *Ne igitur putato ea tantum exsistere corpora*, quæ *sentis*. Quo Canone & præcedentis §. Canon secundus confirmatur. Qua autem ratione corporum qualitates, & relationes ope sensuum dignoscamus, in primo libro dictum est.

§. III.

SEd & iis, quæ passim dicta sunt, patet, sensus in iis tantum scientiis adhiberi Duces, quæ *Physicæ* dicuntur, idest quæ universum hoc corporeum spectant. Hæ scientiæ ita sensibus nituntur, ut nec primum sint natæ, nec deinceps auctæ atque illustratæ, nisi sensuum *experimentis*, & *observationibus*. In ceteris disci-

(a) *Cartesius in medit. de prim. phil.*

ſciplinis, aut *Metaphyſicis*, aut *Mathematicis*, aut quæ ab autoritate pendent, ut *Theologia revelata*, & *Juriſprudentia*, ſenſus non audiuntur. Cohibendi potius ſunt, ne aut tumultuantes corporeis imaginibus ſerenam puræ intellectionis regionem adumbrent, aut ab auctoritate nos faciant deſciſcere. Jam Philoſophi hoc ſtatuunt inter *experimenta*, & obſervationes diſcrimen, ut ea *experiri* dicamus, quæ, niſi operam noſtram adhibeamus, minime ſint proventura; ea vero *obſervare*, quæ ſuapte natura ſine ulla opera noſtra eveniunt. Phænomena *obſervantur*, veluti meteora, ellypſes, plantarum, brutorumque generationes: experimenta, *Boyleanæ*, e. g. *machinæ*, capiuntur.

§. IV.

DUO autem ſunt circa experimentorum, & obſervationum uſum monenda. I. ut accurate inſtituantur. II. ut rite ex iis conſequentiæ deducantur. Nulla in re magis peccari facile poteſt, peccatumque ſæpe eſt, & a viris quidem acutis, & doctis, quam in his duobus. Et primum ut accurate perficiantur experimenta, aut obſervationes, adhibendi ſunt homines rei, de qua agitur, periti, ſimul & apti, facileſque in inſtrumentis verſandis. Nam qui rei, de qua agitur, ſunt imperiti prætermittere quædam poſſunt, quæ erant obſervanda, quæque narrata facile phænomeni patefaciunt cauſam, omiſſa aut occultant, aut falſam pro vera indicant. Eam ob rem Phyſici, Medici, aliique naturalium ſcientiarum periti cavere debent ne nimium experimentis hujuſmodi, & obſervationibus a *vulgaribus* hominibus, *agreſtibus*, *ſimplicibus*, *imperitis nautis* factis credant, eaque accipiant tanquam ſuorum ſyſtematum principia. Præterea naturalis ſcientiæ amatores vetuſta, & vulgo jactata, atque conſecrata experimenta non verebuntur repetere, iterumque ad lancem revocare. Experientia docuit plurima hujuſmodi repetita falſa eſſe reperta, aut manca, aut interpolata (*a*). Præterea refert plurimum eadem experimenta a pluribus facta inter ſe conferre, quatenuſque conveniant aut diſtent attente di-

me,

(a) *Muſcheb. in præf. experiment &c.*

metiri. Refert & eadem experimenta in pluribus locis aut facere, aut facta comparare. Ex his enim accuratis observationibus facilius intelligitur, & phænomeni causa, & causa variationis experimentorum.

§. V.

JAM illud magnopere cavendum est, ne ad experimenta capienda, aut phænomena observanda animo alienis systematibus imbuto accedamus. Nihil enim facilius quam systemata nostra, quæ deperimus in quibusvis experimentis, aut observationibus cernere. Quod eo vel maxime confirmatur, quod diversi plerumque philosophi diversa systemata iisdem experimentis confirmare conati sunt. Nemini ignotum esse potest quid ANTICIPATA OPINIO in hominibus possit. Qui *anticipata opinione* secum statuit constellationum alias *Arietem*, alias *Taurum*, alias *Leonem* referre, dum eas observatum eunt, *Arietem*, *Taurum*, *Leonem* vident, cornua, caudam, crines cernunt, etiamsi tam constellatio *Arietis* similis est *Arieti*, quam *Tauri* constellatio similis est *Virgini*. Quis crederet viros non omnino stupidos credidisse, aut aliis persuadere voluisse, *Fati decreta aureis stellarum litteris quasi descripta legi ab hominibus rerum istarum sagacibus posse?* At ecce Reuclinus (*a*), Picus Mirandulus Comes (*b*), Henricus Cornelius Agrippa (*c*), Blasius Vignerius (*c*), Athanasius Kircherus (*d*), aut id crediderunt, aut plures credidisse narrarunt.

§. VI.

NEC minus est difficile ex experimentis & observationis *rite argumentari*. Plures sunt, qui ex uno aut altero experimento, aut observatione conclusiones deducunt universales, quibus deinde rationem omnium similium experimentorum reddunt, quod *genus sophismatis* docuerunt quidem philosophi omnes, pauci evitarunt. Alii eam experimenti, aut observationis causam

(a) *De* arte Cabball. *lib.* 3. *pag.* 724.
(b) *Lib.* 8. *cap.* 5. contra Astrol.
(c) *De* occulta phil. *lib.* 2. *cap.* 51.
(c) *De* cifris *pag.* 162.
(d) *Tom.* 2. Œdipi Ægypt.

ſam dederunt, quæ prima ſibi obtulit. Plerique alii ſtatuto ſemel generali quodam ſyſtemate, ulterius inveſtigandi quaſi poſito graviſſimo onere, in rebus omnibus ad id confugerunt. Explicemus hæc exemplis. Ex accenſa ſubterranea fodina A ſuperpoſita plaga tremuit: ergo quotieſcumque telluris plaga quælibet contremit, ex accenſo in fodinis igne tremit. At qui ita concludit, certus eſſe debet, nullas eſſe poſſe alias cauſas, quibus terra contremiſcat. Quum vermis corroſiſſet radicem, aut medullam plantæ B, exaruit planta; ergo quæcumque plantæ exareſcunt eandem ob cauſam exareſcunt. Nullæne aliæ eſſe poſſunt ariditatis cauſæ? Jam vero extracto aere ex ſiphone bicrurali, aſcendit aqua. Quid ita? horret natura vacuum. Ea vero ſemel poſita cauſa, nulla fuerunt ſimilia phænomena, quæ non horrore vacui explicarent Peripatetici. Avicula in Boyleano vacuo intumeſcit: ex horrore provenit vacui. Mirùm eſt *Naturam*, quam omnipotentem iſti fecerunt, tam horrere vacuum potuiſſe. At magnes attrahit ferrum: Sympathia eſt: nullum eſt ſimile in natura phænomenon, quod ſympathia hæc non gignat. Expellit oleum aqua: eſt antipathia: omnia ſimilia efficiet antipathia. Quidam omnia humana corpora *Spiritibus animalibus*, veluti perpetuis ſatellitibus inſtruxerunt. Nullum eſt in homine phænomenon quod non Spiritus animales efficiant. Rubet quiſpiam, expallet, tuſſit, ſternutit, pituita moleſta eſt, uni efficiunt Spiritus animales: Ædepol negotioſam phyſicam! In qua unius vocabuli ope cuncta naturæ phænomena explicantur.

§. VII.

Ergo philoſophus noſter ad ſequentia animum advertet.

I. *Dati phœnomeni cauſæ omnes poſſibiles inveſtigantor, & cum Phœnomeno perdiligenter conferantor.*

Duæ ſunt in hoc Canone utilitates. I. Philoſophi mens hunc in modum paulatim in profundam *naturæ* at intimam contemplationem devenit, unamque veritatem quum inveſtiget, plures detegit, mentemque facit in dies capaciorem, & inſtructiorem. II. Minori cum erroris

pe-

periculo de phœnomeni causa judicat. Itaque numquam mihi est probata, ut alias dictum est, in Physicis emuncta per systemata disserendi ratio: qui sic enim philosophatur systemati suo, tamquam saxo, adhæreſcit, nec investigat aliud, nec scit. Nevvtoniana ipsa Physica perpetua illa & generali *attractione* non minimum adolescentes a penitiore *naturæ* investigatione removet: abutuntur enim ea plerique, & contenti *attractionis* vocabulo, nihil ultra perquirunt: attractionem vero ipsam, quæ nimirum sit, & quænam ejus causa, etiam ignorant.

II. *Dati phœnomeni A duabus tantum rationibus affirmator causam esse B*, . *I. si clare & evidenter pateat ex B, A prodire*. II. *Si constet ex nulla alia possibilium causarum, non ex C, non ex D, non ex E &c. prodire posse*.

Nam si *clare & evidenter* constat A prodire ex B, ceteræ omnes possibiles causæ excluduntur. Ex. g. si constet *dati motus* terræ causam esse *accensionem subterraneam*, omnes aliæ possibiles sunt exclusæ. At si phœnomeni A causæ omnes possibiles sint B, C, D, E, G, clarissimisque rationibus ceteræ præterquam G excludantur, G manifesto erit τϰ A causa.

III. *Si nec clare & distincte pateat quanam ex causa A proficiscatur, & certi non sumus omnes nos possibiles causas complexos, causæ nulla est certitudo: ne ergo audacter & affirmate, sed timide & perplexe, una aliis præferator*.

IV. *In casu præcedentis canonis, quum certitudo deficit, investigator* probabilitas, *ita, ut ab ea causa probabilius A pendere affirmetur, quacum est A conjunctior idest ab ea causa, in qua major sit τϰ A producendi RATIO SUFFICIENS, rejiciantur que causæ aliæ, in quibus minor est hujusmodi sufficiens ratio*.

Sit Phœnomenon A, dentur causæ, quæ investigari potuerunt, B, C, D. Quum non constet clare & distincte A ab harum una pendere, & certi non sumus nullam aliam superesse, ab horum nulla affirmatissime dicam A proficisci. At si comparatis his causis, attenteque omnibus perpensis. reperiatur *ratio* sufficiens τϰ A esse quidem in B 2, in C 3, in D 4, probabilitas, qua affirmatur nasci A ex D erit ad probabilitatem, qua asseratur nasci ex C, ut 4

ad

ad 3, qua vero asseratur provenire ex B, ut 4 ad 2. Hos canones non Physici tantum & Medici tenere debent, sed & Politici in primis, quorum curæ ac diligentiæ societatis tranquillitas commissa est: ii enim eadem ratione, sed & curatius, pervestigare debent, quibus ex causis societatis tranquillitas, aut perturbatio contingere possit. Id quod moneo, quod in his præcipue studiis juvenes philosophos instrui, atque exerceri maximopere cupio.

C A P. II.

De autoritate, & in primis humana.

§. I.

AUtoritas in *narrantis* aut *docentis* pondere sita est: eo pondere nobis persuademus ea vera esse, quæ nec sensibus nostris, nec intima nostra conscientia, nec ratiocinio ullo assequi valemus. Ergo a persuasione *scientiæ* & *probitatis* Autoris tota manat autoritas. Si a nobis inest autoris opinio, tanta esse eum scientia præditum, ut falli nequeat, tanta bonitate ut nequeat fallere, autoritas *fidem* pariet *certam*; at si aut Autoris scientia non habetur perfecta, aut de probitate addubitare possumus, autoritatis pondus majus est vel minus, aut in simplici *scientiæ*, vel *probitatis* ratione; aut in ratione ex utraque composita. Porro in iis autoritatem statuimus, qui nos docere possunt. Sunt autem qui docere nos possunt in tribus classibus positi. I. Deus. II. Dæmones, III. Homines. Ergo triplex inde profluit autoritas. I. Divina. II. Dæmoniaca. III. Humana. Quamobrem philosophus noster attente pensabit. I. quales istæ sint. II. quantæ. III. Unde earum nos copiam habere possimus. IV. Qui earum usus. Sed instruamus eum in singulis, in primis in humana, quæ prima usu se nobis offert.

§. II.

AUtoritas humana aut in narrationibus spectatur, aut in dogmatibus. *Autor narrat quum quidpiam suo,*

vel

vel præterito tempore, a popularibus suis, vel ab exoticis, aut cogitatum, aut dictum, aut factum tradit. Δογματίζειν vero (dogmata docet) *quum aut aliorum sententias velut suas, aut suas affirmare docet.* Narratio *historia* vocatur. Sunt autem historiarum genera tria omnino; etenim historia *Politica* est, aut *Naturalis*, aut *Literaria*. *Politica* res, quæ hominibus accidunt, enarrat: *Naturalis*, quæ pertinent ad *naturam*: *Literaria*, quæ ad literas. Politicæ species tres: Divina, quæ complectitur res, quas Deus hominum ergo, & apud homines gessit unquam, aut gerit: Religiosa, quæ eas res narrat, quas homines Dei ergo, & erga Deum gessere: Profana, in qua res hominum nec divinæ, nec sacræ dicuntur. Sed & historia quum Religiosa tum profana, aut generalis est, qua res totius hominum generis, aut particularis, qua unius nationis res continentur. E. g. Diodori Siculi, aut Justini Trogi historiæ sunt universales, imperfectæ licet: Tucididis vero, aut Livii particulares, ille enim Pelopponesiaco XXVIII. annorum bello res gestas, hic Romanas ab urbe condita ad sua usque tempora describit. His accedunt *Vitæ*, quibus unius hominis acta narrantur, veluti *Vitæ virorum illustrium Plutarchi*.

§. III.

Historia naturalis infinitas propemodum habet partes. Ea narrat phænomena quæcumque unquam in rebus corporeis observata sunt, aut quæ ulla in re capta sunt quandocumque, & a quibuscumque experimenta. Ergo complectitur *phænomena*, aut *experimenta* circa *aerem*, *ventos*, *planetas* aliaque *sidera*, *plantas*, *bruta*, *homines*, *aquas*, *ignes*, *mineralia*, & alias *naturæ corporeæ* partes. Vastissima est hæc historia, & rerum varietate, & nobilium Scriptorum copia. Est etiam studiorum omnium pulcherrima: vitæ etiam, & hominum societati utilissima. Nam quid pulchrius quam & totius universi, in quod sensus nostri pertingunt, mutationes, atque vicissitudines in numerato habere, & ex iis intimam rerum omnium structuram, ordinem, fines, causas, Deum præcipue, cujus tantum contemplatione, & possessione sunt men-

tes beatæ, introſpicere? Quid porro utilius quam ex hac hiſtoria aut quid in ſerie mundanarum rerum ſit olim futurum conjicere, aut artes humanæ vitæ neceſſarias augere, & perpolire? Nulla præterea ſunt ſtudia, quæ majorem mentem humanam efficiant, quæque rerum corporearum uſum demonſtrant, & aut ſtupidam admirationem, aut horrorem ſuperſtitioſum radicitus ex animis evellunt. Ad rem Horatius (*a*)

Nil admirari, prope res eſt una, Numici,
Solaque, quæ poſſit facere & ſervare beatum.
Hunc Solem; & Stellas, & decedentia certis
Tempora momentis, ſunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectent. Quid cenſes munera terræ?
Quid maris extremos Arabas ditantis, & Indos?
Quo ſpectanda modo, quo ſenſu credis & ore?

§. IV.

Hiſtoriam litterariam eam dico, in qua aut virorum litteratorum *opiniones* & *ſcripta* recenſentur, aut origines, & progreſſus artium, atque ſcientiarum narrantur, veluti hiſtoria Philoſophorum Laertii, quæ ſola ex pluribus veteribus ad nos demandata eſt, *Acta Eruditorum*, *Bibliothecæ Selectæ*, *Novellæ litterariæ*, & quæ ejuſdem ſunt generis. Et hæc hiſtoriæ pars non voluptuoſa modo eſt, ſed & utiliſſima. Nam & pulchrum eſt atque jucundum ea noſſe, quæ de humanis, diviniſque rebus omnis ætatis, omniſque Gentis homines opinati ſunt; & ſenſus hic hominum communis maximus eſt humanæ ſapientiæ dux & magiſter. Quocirca non ruſticus modo & impolitus in Republica litteraria habetur, qui hujus hiſtoriæ ornamento caret, ſed minus etiam futurus eſt doctus. Infinita enim ſunt, ad quæ viri ipſi ſummi mente & judicio nunquam animum advertiſſent, niſi ab aliis eſſent excitati. Præter quam quod *evidentiæ & claritatis*, qua ſola veritatem a falſitate diſtingui ſupra demonſtratum eſt, non alius eſſe, ut diximus, teſtis poteſt, quam communis hominum doctiſſimorum ſenſus. Hæc hiſtoriarum genera. Videamus nunc quanta ſit hiſtoricorum autoritas.

N §. V.

(a) *Epiſt.* VI. *libri primi.*

§. V.

Historia historici *autoritate* parit *fidem*, ut supra dictum est; ergo ut quanta debeatur historiæ fides recte perpendatur, *duæ* sunt historicorum *dotes* examinandæ. I. *Scientia*. II. *Probitas*. Scientia duplex, 1. quanto mentis acumine, quanta capacitate fuerit historicus præditus? 2. potuerit nescire, quod narravit, & quibus viis ac rationibus? Primum enim, historicus doctior, mente capacior, perspicacior non facile passus est sibi imponi. Aptus erat cunctis acri judicio pensandis, atque vero proximioribus eligendis. Præterea eam industriam adhibuisse, quum perspicax statuatur, negari, nisi aliunde constet, sine temeritate nequit. Contra indoctus, paulo stupidior, facile credulus, nec fraudibus detegendis est aptus, & inter narrationes varias distinguere nec scit, nec potest. Ergo decipi, atque deludi potuit: potuit dormitare, cæcutire, populares incertosque rumores pro severis historiis scribere. Ea historicorum dos in omnibus omnino historicis est exigenda, quum prophanis, tum ecclesiasticis, tum naturalibus, tum potissimum literariis: inde enim manat non parva historiæ autoritas. Si omnes historici mentis *capacitate*, *perspicacitate*, *judicio* prædití fuissent, nec tot fabulas politica contineret historia, nec tot puerilia, aut iniqua judicia in ipsis essent historiis litterariis.

§. VI.

Operæ pretium erit rem aliquot exemplis illustrare. Aulus Gellius (*a*) uberrimam præstat copiam hujusmodi fabulosarum historiarum, quas aut veterum simplicitas, & credulitas, aut Viatorum, atque Mercatorum (ut est id genus hominum ad metiendum a natura comparatum) vafrities evulgavit. *Quum e Græcia*, inquit, *in Italiam rediremus, & Brundusium iremus, egressique de navi in terram, in portu illo inclyto spatiaremur, fasces librorum venalium expositos vidimus, atque ego statim avide pergo ad libros. Erant autem isti omnes libri Græci*

(a) *In noctibus Atticis lib.* IX. *cap.* IV.

ci MIRACULORUM FABULARUMQUE pleni. RES INAUDITÆ, INCREDULÆ. Scriptores veteres, non parvæ auctoritatis, Aristeas Proconnesius, & Isigonus Nicæensis, & Ctesia, & Onesicritus, & Polystephanus, & Hegesias..... Erant igitur in libris scripta hujusmodi. Scythas illos penitissimos, qui sub ipsis septemtrionibus ætatem agunt, corporibus hominum vesci & ἀνθρωποφάγους nominari. Item esse homines sub eadem regione Cœli unum oculum habentes in frontis medio qui appellantur Arimaspi. Alios item esse homines apud eandem Cœli plagam.... vestigia pedum habentes retroporrecta. Præterea... in ultima quadam terra, quæ Albania dicitur, gigni homines, qui in pueritia canescunt, & plus cernunt oculis per noctem, quam inter diem..... Esse quoque quasdam in terra Africa familias hominum voce atque lingua affascinantium: qui si impensius forte laudaverint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amæniores, egregios equos, pecudes pastu atque cultu opimas, emoriantur repente hæc omnia.... Item esse homines in Illyriis, qui interimant videndo, eosque pupillas in singulis oculis binas habere. Item esse in montibus terræ Indiæ homines caninis capitibus & latratibus. Alios etiam apud ultimas Orientis terras, qui Momeri appellantur, singulis cruribus saltuatim currentes, vivacissimæ pernicitatis. Quosdam etiam esse nullis cervicibus, oculos in humeris habentes. Præterea esse gentem apud extrema Indiæ, corporibus hirtis, & avium ritu plumantibus, nullo cibatu vescentem, sed spiritu florum naribus hausto victitantem.

§. VII.

MIrum autem est, harum rerum ad sequiora tempora nullum vestigium relictum, quum ordo naturæ exigat, ut animalium species perennent. Nec recentes viatores magis sibi temperarunt ab hujusmodi fabulis narrandis. Ex India lapides quidam ad nos advecti sunt, queis venenatos morsus sanari, viatores isti prædicabant. Eos lapides ex serpentum capitibus extrahi auctores illi boni & creduli testabantur: Serpentes illos *Cobras de Cabelo* Hispani vocant. Miracula de lapidibus istis jacta-

bantur. Quum autem Franciscus Rhedi acutissimus Philosophus replicatis vicibus horum lapidum experimenta fecisset, meras omnia imposturas esse detexit. Compertum etiam lapides istos arte humana fabrefactos. Pater Philippus Libelli (in Itinerario lib. II. cap. V.) de Arabiæ Felicis quibusdam incolis, *major*, inquit, *eorum pars, Catafares dicti, fedus cum Diabolo ineunt, valdeque noxii sunt. Si attentius fructum aliquem contuentur, medullam devorant, intacto cortice. Eadem ratione hominum corda hauriunt. Sunt autem ipsi armorum ictibus impervii: adamantem ferire crederes*. Quis hæc legens temperet a risu!

§. VIII.

VUlgata fama viatorum erat, corpus Muhammedis Meccæ vi magnetica in aere pendere cista ferrea inclusum: id graves retulerant autores. At compertum est Muhammedis sepulchrum in urbe Arabiæ Meditalnabi jacere. De Guiana Americæ Australis Provincia, quot mendacia Europæis prodita? Præcipue a Gualtero Ralego Anglo, qui quum Anglos decepisset, Londini post diuturnum carcerem capite plexus fuit, ut retulit Hornius in historia universali. In Itinerario Baungartem Angli hæc leguntur. *Prope Belbes in Ægypto vidimus Sanctum unum Saracenicum inter arenarum cumulos, ita ut ex utero matris prodiit, nudum sedentem. Mos est, ut didicimus Mahometistis, ut eos, qui amentes, & sine ratione sunt, pro SANCTIS colant & venerentur.... sanctum illum, quem eo loci vidimus publicitus adprime commendari, eum esse hominem sanctum, divinum, ac integritate præcipuum, eo quod nec fœminarum unquam esset nec puerorum, sed tantummodo ASELLARUM CONCUBITOR ATQUE MULARUM*. Hæc ille; quæ, qui mores Muhammedanorum probe didicerit, non veretur fabulis accensere: nec sane autor retulisset si paulo acutiore judicio fuisset instructus. Nihil autem addo de puerilibus judiciis, quæ ob hujus dotis defectum in novellarum literariarum compilatoribus promulgata sunt. Qui in his libris paulo est versatus melius ac plenius hoc intelligit. Unum dico, nulla in re majus judicium, perspicaciam, acumen exigi,

quam

quam in historia literaria compilanda, Sed & idem judicium, atque perspicacia in *historia religiosa* scribenda necessarium est: quippe non alias magis a vulgo fabellæ vulgantur atque creduntur: quas nisi diligens historicus internoscat, pro severis historicis fabulas lectori propinandas dabit. Legatur Theologus gravissimus Melchior Canus in XI. de locis cap. VI.

§. IX.

PErpensa historici doctrina, capacitate, perspicacitate, judicio, tum eo vertendus animus, ut intelligatur, scire ne potuerit, id quod narrat. Quantumvis enim sit historicus acutus, & doctus, si ei via & ratio defuit, qua id scire potuerit, quod narrat, poeta mihi erit potius, quam historicus. Cognoscitur autem scire potuisse. I. Si fuerit coævus. II. Si domesticus. Nam qui rei quam narrat, coævus est, quum recentior ejus adhuc est memoria, scire illam ullo negotio potest: & qui est domesticus non facile ab exteris decipitur. Duo sane sunt, quæ historias ferme omnes diluunt, atque extenuant, *tempus*, & *locorum distantia*: utrumque enim res nobis per longam aliorum aliis narrantium seriem tradit: in longa autem aliorum aliis narrantium serie aut *additur* aliquod, aut *demitur*, aut immutatur. At qui coævus est, & domesticus serie ista non indiget: ipse sibi testis esse potest. Interim fieri potest ut coævus & domesticus rei, quam narrat, non interfuerit, sed a popularibus suis narrari audiverit; quo casu eorum expendenda est fides, a quibus accepit. Nam infinitæ ubique vulgantur plerumque fabulæ, & vera gesta aut interpolantur, aut incrustantur. Ex quo patet quale judicium faciendum sit de iis historicis, qui nec coævi fuerunt, nec domestici, Ii aut historias suas ab antiquioribus scriptoribus acceperunt; aut ex inscriptionibus sepulchrorum, columnarum, *monetarum*, ex antiquis sculpturis aut picturis, vel aliis vetustis monumentis; aut ex popularibus rumoribus, & traditionibus, collegerunt. Primi non aliam faciunt fidem, quam ii, ex quibus descripserunt: aut monumenta, unde collegerunt:

in eorum igitur ætatem inquirendum eſt. Ex. g. Livius veterem Romanæ Reip. hiſtoriam collegit ex *Annalibus maximis*, quorum & ipſe paſſim, & Cicero (*a*) mentionem habet: ex *hiſtoriis Fabii Pictoris*, ex *originibus Catonis*, monumentis *Piſonis, Fannii, Venonii* (*b*): videndum ergo eſt, qua iſti ætate vixerunt, & qua ratione, quæ narrarunt, ſcire potuerunt. Eodem modo Plutarchus vitas illuſtrium virorum, Laertius Philoſophorum vitas ex priſcis monumentis deſcripſerunt: ergo eorum habenda ratio: poſteriores enim ſcriptores vetuſtis rebus nihil autoritatis, aut ponderis addere poterant: contra detrahere plurimum poterat tempus. Eodem modo examinanda eſſet, ſi extaret, vetus Ægyptiaca hiſtoria Manethonis ex vetuſtis Ægyptiorum monumentis collecta: eodem modo & aliæ infinitæ. At ſi populares rumores ſectatus eſt autor, qualis Herodotus hiſtoriæ idem & fabularum parens, tanto minorem meretur fidem, quanto leviora ſunt, quæ vaga incertaque majorum traditio poſteris communicat. Atque hæc eſt ratio, cur veterum nationum res penitus ignoramus: earum nimirum ſcriptores aut recentiores ſunt, aut jamdiu perierunt. Quocirca quidquid de barbaris Græci nobis tradiderunt, aut ex vulgaribus compilatum eſt rumoribus, aut propria ejus gentis garrulitate confictum. Nam Græci ſero tandem animum veteri hiſtoriæ addiſcendæ applicuerunt, quum vel ipſo Platonis ævo quum barbararum, tam etiam Græcarum antiquitatum egregie eſſent ignari (*c*). Ergo vani ſunt labores eorum, qui deperdita illa ex ruinoſis ruderibus reſtituere conantur, qui *plerumque multa agendo nihil agunt*. *Valeant igitur* (ſunt verba Hornii in hiſtoria univerſali (*d*) *omnia illa commenta & æternis ſepeliantur tenebris*, *ne in poſterum opus ſit bonas horas in hujuſmodi nugis perdere*.

§. X.

(a) *In* II. *de Orat*.
(b) *Cic*. I. *de Legibus*.
(c) *Plato in Timeo*.
(d) *pag*. 451.

§. X.

Ceterum infiniti historici, si ex uno omnes rem acceperunt, neque aliunde eam didicerunt, non plures sunt æstimandi, quam ille, ex quo acceperunt. Sunt qui opinantur Manethonem, Berosum, Sanchoniatonem ex Mose historiam suam antidiluvianam mutuatos esse, & interpolasse. Id si verum statuamus, omnis labor, qui in his legendis impenditur, vanus est: nec enim plus, aut certius scire potuerunt, quam Moses. Sed non putem hanc opinionem veram: etenim, si memoriæ illæ Sanchoniatonis, Berosi, Manethonis non sunt prorsus fabulæ, ex vetustis Phœnicum, Chaldæorum, Ægyptiorum potius monumentis collectas censuerim, quam a Mose depromtas: pleraque enim habent a Mose discordantia. Hoc canone bellum Trojanum quidam critici in dubium vocant (*a*). Nimirum quamquam nullus vetus gestum tanta testium copia confirmatum est, quam bellum Trojanum; quippe quod Poetæ omnes, Oratores, Historici, Philosophi Græci atque Latini illud memorant: tamen omnes ex uno Homero hanc historiam descripsisse videntur, qui fortasse rem totam ad veri similitudinem, poetica libertate finxit, non secus atque Soricum, Ranarumque bellum, seu Batrachomiomachiam, quam etiam sub Homeri nomine veteres librarii ad nos transmiserunt. Quod si putemus Homeri Epopejas, uti nunc sunt, ex variis poesiunculis vetustioribus collectas, & ab Homero, aut alio quocumque auctas, & politas, facilius perspiciemus, qua ratione obscura fortasse fabella in *horrentia illa* Trojæ arma excreverit. Eadem ratione historia versionis 70. interpretum in dubium revocatur: omnes enim qui eam narrant, unum videntur Aristæ libellum descripsisse. At per-

(a) *Primus qui dubium hac super re movit fuit Dio Chrysostomus in oratione* ὑπερ τȣ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι quod Illium non sit captum. *Sed Metrodorus quidam Lampsacenus allegoricos scripsisse Homerum censuit (apud Tatianum oratione ad Græcos): Ex recentioribus idem egit Christianus Alanus, Gerardus Croesius, Struvius, quibus accessit nuper vir noster eruditissimus Joannes Baptista Vicus.*

ſonatus ille Ariſteas meras narrat fabulas, uti legendo intelligitur.

§. XI.

QUantam vero probabilitatem faciat unus aut alter hiſtoricus, non eſt facile definitu. Unum aut alterum hiſtoricum non facere certitudinem nedum mathematicam, ſed ne moralem quidem, non eſt quod dubitemus. Probabilitatis autem, quam faciunt, gradus, ex eorum *ſcientia*, & *probitate* dimetiendi ſunt. Et maximus probabilitatis gradus, quique a certitudine morali parum diſtat, eſt, ſi unus hic aut alter hiſtoricus probi fuerint, & rebus, quas narrant, coetanei, & præſentes, eæque res ſupra eorum captum non fuerint. Auguſtinus de Civitate Dei narrat ſe vidiſſe homines, qui quotieſcumque volebant, comas ad vultum, & a vultu ad occiput agitabant, immoto capite. Quam hiſtoriam qui negat, vir eſt perfrictæ frontis: nam & coetaneus erat hiſtoricus, & probus maxime, & qui non facile ſibi imponi patiebatur.

§. XII.

QUod ſi unus hic aut alter hiſtoricus coetaneus fuerit, ſed aut rei non præſens; aut res, quam narrat, captum ſuum ſuperabat, tunc probabilitas illa valde minuetur. Scilicet fieri potuit ut vel a rumore populari fuerit deceptus, vel rem non intelligens ipſe ſeſe deceperit. Infinita ſunt hujuſmodi in hiſtoria Politica, & Naturali, quæ, qui attente legit, paſſim obſervat. Itaque dum lego in hiſtoricis politicis vel ipſa Principum plerumque remotiſſimorum, arcana, & ſecretas conſultationes, & epiſtolas referri, temperare mihi a riſu nequeo. Magis etiam rideo, dum experimenta naturalia apud eos hiſtoricos lego, qui Phyſicarum diſciplinarum penitus imperiti fuerunt: quippe hæc experimenta uti intelligi non poſſunt, niſi ab earum rerum peritis, ita narrari exacte a nullo alio poſſunt. Sunt etiam ejuſdem generis plura in hiſtoria religioſa, ut quum viri boni pro miraculis narrant, quæ ſunt naturalia, aut conficta.

§. XIII.

VEniamus ad *probitatem*. Si *probitas* desit, tum vero omnis historiæ probabilitas funditus intercidit. Dignoscitur autem deesse probitatem, vel si nobis aliunde historici vita nota sit, vel si in ejus scriptionibus frequentia mendacia, & imposturæ detegantur, vel si odio, aut amore partium nimium agitatus fuerit, aut tandem si superstitione fuerit corruptus. Ita quum narrat Muhammedes in Alcorano miracula, constatque fuisse illum solennem impostorem, nemo illa unquam vera putaverit. Idem judicium ferendum de gestis Apollonii Thianæi, quæ magno numero Philostratus retulit, aut quia ob superstitionem vera putaverit, aut quia ob Gentilismi studium Christi simiam mundo obtrudere voluerit, quo Christianismo se opponeret, quemadmodum docti plurimi censuerunt.

§. XIV.

PArtium potissimum studia historicos ferme omnes fœdant. Hinc fit, ut domestici plerunque historici suspecti sint. Nam Livius, e.g. & Cæsar res Romanas augustiores fortasse, quam fuerunt, faciunt: exteras etiam res, Carthaginiensium, Gallorum, Germanorum, aliarumque nationum data opera augent, ut quum eas vicerint Romani, eorum gloria major evadat, non secus atque Hectorem Homerus ceteris omnibus Græcis Trojanisque extollit, uti Achillis, a quo tandem victus est, fortitudinem celebret. Græci vero Scriptores, qui elato supercilio cunctas spernebant nationes, in gentis suæ laudem pronissimi, & effusissimi fuerunt, atque idcirco omnes suas historias suspectas fecerunt. Hinc Græcia *mendax*, *garrula*, *levis*, apud Juvenalem, aliosque audit. Curtius quoque magnopere historiam dehonestavit, nimio rerum Alexandri studio. Jesuita Maiburgus ut partibus faveret, non erubuit scribĕre, Solem cursum suum cohibuisse, ut Germani ex prælio victores evaderent. Pleni sunt historici omnes hujusmodi mendaciis. Jam quum nos nostroque naturali & necessario amore ame-

mus,

mus, & quilibet historicus nationi alicui aut propriæ, aut quam delectu sibi propriam fecit, addictus sit, eam potissimum ob rationem vix historicum reperias, qui partium studio non laboret, quique *nec amore & sine odio dicat*, quem veri historici characterem statuit Tacitus. Sed plerumque talis est rerum status, ut historicus res sui ævi scribere sincere nequeat, cogaturque aut Principi, aut nationi suæ adulari, atque historiam fœdare. Ad rem Tacitus sub initium annalium: *temporibus Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec glifcente adulatione deterrerentur. Tiberii, Caiique, & Claudii ac Neronis res florentibus ipsis, OB METUM FALSÆ; postquam occiderunt, recentibus odiis COMPOSITÆ sunt*. Caute igitur legendi historici Politici.

§. XV.

Eodem accedunt fabulæ, quas de moribus, literis, Politia, Religione nationum narrant viatores. Hinc fit, ut nedum vetustarum Gentium, sed ne recentiorum quidem Religio ulla nobis certa sit. Etenim quum aut ex quibusdam externis ritibus & signis, aut *ex rerum suarum notionibus*, & propria superstitione corrupti de Religionibus exterarum notionum judicium fecerint viri plerumque imperiti, mendacia infinita nobis narrarunt: Primæ post diluvium nationes nulla Divinitatis templa, nulla idola habebant: paucas etiam ceremonias, seu externos ritus usurpabant. Hæc Religio diu perduravit apud quasdam Asiæ & Africæ Gentes. At Græci Romanique, qui templis & idolis undique circumdabantur, quum has Gentes primum noverunt, eas non dubitarunt Atheismi reas facere, non secus atque primos Christianos Atheos vocaverunt, quod *nulla templa, nulla publica sacrificia haberent*. Consulatur Apologia 2. Justini Martyris, & *Octavius* Minutii Felicis. Religionem Hebraicam ignoraremus, si eam ex libris Gentilium tantum vellemus discere. Juvenalis dum de Judæis loquitur (Satyr. 14. v. 96.)

Quidam sortiti metuentem Sabbatha Patrem,
Nihil præter nubes & Cœli lumen adorant.

Quam solemnia satyricus iste mentitur? Omnium Gentilium

tilium consentiens opinio erat, in Templo Hierosolymitano caput Arietis adorari a Judæis, uti ex Josepho contra Appionem, ex Tacito (lib. v. historiarum) aliisque discimus. Quam putidum mendacium? Sed hæc mendacia detegimus facile ope librorum Hebræorum. At mendacia circa Religionem Ægyptiorum, Chaldæorum, Persarum, Indorum, aliorumque a Græcis, Romanisque narrata, quum aut nulla harum nationum monumenta supersint, aut interpolata fragmenta, qua ratione detegere speramus? Qui leget Plutarchum de Iside & Osiride, intelliget profecto, Græcos plurima Ægyptiis imposuisse, quod non satis illorum mysteria tenuerint. Totam Theologiam Chaldaicam a Stanleyo diligenter collectam (In hist. Phil. Part. XIII.) eam ob causam suspectam habent viri docti.

§. XVI.

QUid, quod ob eandem causam præsentes orbis Religiones, etiam in communi nationum commercio, ignorantur? Nam de Religione Sinensium & Siamensium adhuc contenditur. Martinius (in Historia Sinensi lib. I.) *de summo*, inquit, *ac primo rerum Auctore, mirum apud omnes silentium, quippe in tam copiosa lingua, ne nomen quidem Deus habet*. Hoc ipsum confirmant alii, maxime Jesuitæ, veluti Alexander Rhodi (lib. I. cap. 14.) Adrianus Gresson, aliique. At Trigaltius, Semedus, aliique non eodem modo sentiunt. Trigaltius (lib. I. cap. x.) sic loquitur. *Tametsi literati supremum, ununque numen agnoscant, nullum tamen ei templum exstruunt ... nullos etiam, quod consequens est, Sacerdotes aut Religionis ministros habent*. Hinc illæ lacrymæ! Nimirum qui non satis mentem literatorum Sinensum tenent eos Spinozistas faciunt. Literatis Sinensibus persuasum est, quod ratio naturalis omnibus acutis Philosophis dictat, *Deum esse mentem quandam nedum æternam, sed etiam undequaque immensam, in qua existit, movetur, vivit, quicquid factum est*. Inde fortassis occasionem arripuerunt viatores, Sinenses inter Spinozistas censendi.

§. XVII.

SEd nunquam clarius intellexi, in quas absurdas opiniones circa Religionem, partium studia & affectus mentem humanam inducant, quam quum literas Judaicas legi. Auctor vehementi adversus Monachos & Clericos, atque cunctas ceremonias Ecclesiæ Romanæ, odio flagrabat. Hæc causa fuit, ut singulorum vitia, toti Religioni Christianæ imputarit Aaron ille Monseca, eamque Religionem declamatorio stylo, uti superstitiosam, traduxerit. In prima Epistola adulterium apud nos tolerari, permitti, seculum vocari, calumniatur miser ille impostor, qui civiles, sacraque; leges nostras nescire simulabat. Ep. 2. quum in medium ptotulisset quorundam Theologorum nostrorum ineptissimam controversiam, parum certe piam, teneatur ne homo, quatenus vivit, semel saltem actum amoris Dei in se excitare? addit in Religione Christiana homines eximi ab amore Dei. Frontem hominis! Sed ne me quis imposturare putet, en verba Auctoris. *Exigunt ipsi* (Christiani) *ut nos* (Judæi) *complectamur legem, quæ nos ab amore Dei eximit? Veuent-ils* (nos scilicet) *que nous* (Judæi) *embrassions une Loi, qui dispense d'aimer Dieu*. Idem auctoris ingenium, eædem calumniæ in omnibus suis literis regnant: paucas legeris, omnes noveris. Privata vitia toti nationi, aut sectæ imputat Deista ille. Utinam nulli eum antecesserint, nulli sequantur!

§. XVIII.

AD probitatem etiam historici spectat, ut constet eum historiam suam, non exercendi styli gratiâ, sed veritatis amore scripsisse. Qui enim exercitio styli scribunt, dum res veri similes narrant, nihil reliqui curant. Isti vocantur nunc Scriptores Romanenses. In horum numero ponit Cicero χιρωπαιδιαμ Xenophontis, quæ sane cum Romansi illo Gallico, quem *Artamenem* vocant, ejusdem est characteris. Licet non ita sentiant recentiores historici, qui Xenophontem in rebus Persicis, vel ipsi Ctesiæ, & Herodoto præferunt. Herodoti

Musas

Musas hoc etiam nomine quidam accusant: itaut non certe illepide is fecerit, qui Herodoti libris Musarum nomina præscripserit, garrularum nempe puellarum. Livius etiam & Curtius artem declamatoriam adfectasse clare videntur: quamobrem cum magno delectu legendi sunt. Hoc idem censent quidam de Historia Veneta Petri Bembi. Ego Paulum Jovium ejus criminis non immunem puto (*a*) Nimiam nempe styli curam in historico suspectam habeo. Sed *nimiam* dico. Essent hoc in loco tradendi canones, quorum ope rite historicis uti possimus: sed eos in sequentem librum rejiciemus, quo in libro regulas analyticas tradituri sumus.

CAP. III.

De auctoritate divina generatim.

§. I.

Auctoritas divina constat quum Deus docet. Tria autem sunt necessaria, ut quis divina auctoritate uti possit. I. Constare debet Deum loquutum esse. II. Et quenam sint Dei verba. III. Et qui verborum sensus. Quorum trium, unum si ignoratur, omnis divina auctoritas perit. Ad primum quod spectat, Deus potest homines alloqui pluribus viis, nempe via mentis, via phantasiæ, via sensuum. Via mentis quum cogitationes suas mentibus nostris communicat: nam quum Deus sit pura mens, nihil vetat, mentibus nostris ita uniri, ut cogitationes & voluntates suas nobis aperiat etsi fortassis qua id fiat ratione ignoremus. Hoc modo Prophetis quibusdam Hebræis loquutus est. Dicitur autem in scripturis nostris id facere, per spiritum suum, quem diffundit in mentibus humanis. Plato in Jone vocat *vim divinam*, qua mentes agitantur: adpellat etiam *sacrum furorem*.

§. II.

(a) *Sed & eum venalem fuisse in Judiciis suis scribit vir acutus Melchior Canus in* XI. *de locis cap.* VI.

§. II.

Via *phantasiæ* vel alicujus rei imaginem in cerebro nostro excitando, vel somnia immittendo, quod Deum passim cum Patribus Hebræis fecisse, veteres scripturæ narrant. Ea quoque in re consentiunt Gentiles omnes. Legatur Cicero de *divinatione*. Via tandem sensuum pluribus modis, quorum duo sunt præcipui, per *aures*, & per *oculos*: nempe aut verba seu sonos articulatos producendo in auribus nostris, qualis inducitur loquutus Patriarchis Hebræis; aut signa aliqua oculis objiciendo, quibus voluntates suas explicet, qualia erant flamma de Cœlo descendens & victimas consumens, lumen in aere, aut alibi rutilans. Locutio per Urim & Thummim, seu per lapides pretiosos, qui in *pectorali* Summi Sacerdotis erant, huc etiam spectat. Quamquam qua ratione Deus loqueretur per Urim & Thummim non constat inter Doctos. Urim fuisse instrumentum sinuosum Rationali S. Sacerdotis affixum, unde Deus consultus verba fundebat, censuit *Spencerus*, l. III. de Legib. Ritual. Hebræorum, dissert. VII. c. III. qui Hieronymi potissimum autoritate nititur.

§. III.

His & similibus rationibus Deus homines alloquitur. Qui autem scire vult, loquutus ne sit Deus, is primum Ecclesiam consulere debet, a qua & Dei verbum, & ejus verbi sensum accipere debemus. Sed si quis Theologus ea de re philosophari velit, is necesse est utatur vel *conscientia*, vel *sensu*, vel *auctoritate*, vel *ratione*. Utimur Conscientia & sensu, quum nobis loquitur, vel intrinsecus, vel extrinsecus. Et ad Conscientiam quod spectat (conscientiæ nomine etiam phantasiam intelligo) tum credendum est, Deum nobis loqui, quum modo insolito mentem nostram, aut phantasiam afflari, eique cogitationes insolitas, divinas, honestas infundi sentimus, ad easque producendas nos nulla opera nostra utimur. Accedunt etiam aliæ conjecturæ, si nos scilicet vi quadam præditos sentimus futura prædicendi, aut mira-

cula

cu la edendi: si novo erga Deum & divina amore flagremus, & a terrenis quasi abhoreamus. His omnibus ratio utitur ad discernendam internam Dei revelationem.

§. IV.

CAvenda est autem in hac re illusio: nimirum plerumque spiritus melancholicus, & vis calidæ phantasiæ, efficere possunt, ut credamus Deum nobis loquutum. Quot mortales hac via Prophetas se egerunt? Nec apud Gentiles modo, sed & apud Hebræos, & Christianos Pseudo-Prophetæ extiterunt. Generalis regula est, *tunc putato insolitas aliquas cogitationes, imagines, commotiones animi, esse divinas, quum certus es, eas, neque a causis nobis intrinsecis, neque ab ullis aliis extrinsecis, provenire posse: alioquin quantumvis insolite agiteris, puta esse causas, aut in tua ipsius natura occultas, aut extra te, unde agitaris. Sed & in iis probandis sapientum utitor sensu & judicio*. Circa somnia præcipue quot illusiones, quot imposturæ? Nempe eveniunt plerumque naturalia somnia, quorum rationem reddere nequeas: & plerunque, quum aliquid vehementer timetur, aut speratur, in animis paulo superstitiosis, mira somnia, & quasi divina excitat.

§. V.

SEnsu vero scire possumus, Deum nobis loqui, si is verba ad aures nostras fundat, aut alia signa suæ voluntatis oculis, aliisve sensibus objiciat. Ita Ada, Cainus, Noemus, Abrahamus, Moses, aliique, qui *ore* ad *os* cum Deo loquebantur, (*a*) certi erant de divina locutione. Ceterum quum doceant scripturæ esse Dæmones, qui nobis illudere possunt, adhibenda est in consilium ratio; ut scilicet diligenter examinemus commotiones a locutione illa in nobis excitatas, sententias ipsas, quas loquutor nobis communicat, scilicet sanctæ sint & honestæ, necne: veræ, an falsæ: signa porro, quæ loquutor, ut sibi credatur, præstat. Uno verbo, quemvis potius creden-

(a) *Quamquam cum Dei Angelo loquutos sunt qui putant, in primis B. August.*

dendum nobis loqui, quam Deum, nisi certo constet, alium esse non posse, nisi Deum. Cautos enim nos humanæ & dæmoniacæ imposturæ fecerunt. Et hæc quidem, quum judicandum est, num Divinitas nobis locuta sit per semetipsam.

§. VI.

AT si per alios nobis loquatur, ad auctoritatem & rationem confugiendum. Nimirum quum plurimi docti, perspicaces, minimæ creduli testantur, se Prophetam aliquem audivisse, in eo omnia signa divinitatis observasse, & omnibus examinatis comperisse, nullam ibi imposturam subfuisse: tunc perfrictæ frontis fuerit assensum denegare. Sed ratio quoque & critica adhibenda est. Scilicet primum observandum quo tempore hoc accidisse narratur qualesque erant homines ejus temporis, culti & perspicaces, an inculti, superstitiosi, facile creduli. II. An ejus, qui Dei nomine loquutus ast, interfuit aliis imponere, aut alias imposuerit. III. An similes imposturæ fieri solitæ fuerint. IV. Quæ sint illa, quæ Dei nomine revelavit. V. Quibus signis missionem suam confirmavit. VI. An aliqui ejus populares imposturam suspicati sint, & quam ob causam. Ex his omnibus ferme fontibus ut divinarum scripturarum divinitatem, ita Alkorani falsitatem detegimus: harum enim rerum nulla in scriptis Christianorum divinis locum habet; omnes vero, aut ferme omnes, in Muhammedanorum Alkorano.

§. VII.

SEd qualis auctoritas humana nos certos faciat de iis, quæ ante nos evenerunt, loco suo dictum est. Ratio autem, quæ nos certas facere potest, aliquem Dei spiritu loqui a Prophetis potissimum & miraculis desumitur. Prophetiæ nomine intelligo prædictiones rerum, quæ non dum evenerunt, quum prædicuntur, quæque neque a causis naturalibus, neque a præsente rerum statu prævideri possunt. Nam quæ, aut ex cau-

causis naturalibus præsciri possunt, veluti futuram Lunæ eclypsim, ubertatem fructuum, aut ex præsente rerum statu qualis Ciceronis prævisio de interitu Reipublicæ civilibus bellis jamdiu dilaceratæ, Prophetiæ nomen non merentur. Veræ porro prophetiæ character est, si ea opere sit completa ita ut prædicta fuit.

§. VIII.

QUoniam igitur vera prophetia est earum rerum prædictio, quæ neque a causis naturalibus, neque a præsente rerum statu prævideri possunt (§. 9.) & vis ista prævidendi solius Dei est, uti in Theologia naturali demonstramus; inde sequitur has prædictiones a solo Deo fieri posse; adeoq; eos homines, qui audacter has prædictiones faciunt quæ ad amussim implentur, theopneustos esse, seu divinos. Quo potissimum argumento probamus libros veteris testamenti esse divinos. Qua de re copiose disputo in Elementis Theologiæ Christianæ. Interim potest legi Huetius in Dem. Evang.

§. IX.

ILlud fortasse dicet aliquis: Quum in mundo nihil fiat sine causa, aut sine ordine, omnes causæ, & omnes effectus mundi concatenati sunt inter se: adeoque quemadmodum sunt in natura qui paucarum causarum & effectuum concatenationem prævident, alii qui plurium; ita etiam esse possunt, qui longissimam causarum & effectuum seriem prævideant, & prædicant; qui tamen theopneusti non sunt.

§. X.

SEd isti in locum difficilem, & qui ad hanc disciplinam non pertinet, nos adigunt. Primum igitur responsum sit, inter homines constare jam, capacitatem mentis humanæ, ad ea futura, quæ libera & contingentia vocantur, se non extendere, adeoque ea non posse audacter & vere prædicere, idque non semel, sed constanter. Quod vero pertinet ad alias mentes, ignoramus sane, quousque earum perspicacitas extendatur; itaque non facile credi-

mus eas a Deo missas, ex hoc solo quod quædam futura prædicant, verum miracula quoque exigimus. Sed, ais, fieri posse ut Dæmon aliquis hominem invadat, & per eum loquatur. Respondeo, bonus ne fingetur hic, an malus? Si bonus non faciet imposturas, neque idcirco ejus ope homo nomine Dei loquetur quum a Deo non afflatur. Si malus. I. Ex doctrina & moribus hominis loquentis facile detegetur. II. Non poterit miracula facere, quæ homines in errores agant; id enim Dei bonitas non finit.

§. XI.

JAm vero quod de ordine rerum dictum est §. IX. quamquam, ut dixi ad sublimiores disciplinas pertinet; tamen quale sit per transennam explicabo. Non dubitamus, quin omnia individua mundi præteriti, præsentis, futuri, ita inter se concatenata sint, ut perfectam harmoniam & ordinem faciant. Sed totus hic ordo universalis ex infinitis pene aliis seriebus & ordinibus compactus est, non secus atque magnus aliquis funis ex pluribus aliis funiculis, aut magna catena ex catenulis aliis. Particulares autem istæ series etiam ex simplicioribus aliis compactæ sunt. Præterea & totus ordo, & peculiares illæ series & catenulæ spectari possunt, vel in tota mundi duratione, vel in parte aliqua hujus, durationis majori vel minori. Scilicet catenula una, quo longius pergit, eo magis cum aliis & aliis catenulis intricatur, ut difficilius sit eam persequi.

§. XII.

QUibus explicatis, quoniam, superis grates, plus minus capacitatem mentium humanarum noverunt jam homines; scimus posse nos in serie simplici causarum & effectuum longissime prævidere, veluti Astronomus, qui per plura secula supputabit, quoties Luna in umbram Telluris incidet. At in seriebus ex infinitis aliis compositis, vix est, ut ad tertios effectus procedat. Hujusmodi autem sunt actiones humanæ, quæ cum infinitis causarum & effectuum seriebus implicitæ sunt:

nam

nam uti variæ, & infinitæ perceptiones naſci poſſunt ex variis & infinitis motionibus cerebri, & organorum ſenſoriorum, ita variæ & infinitæ voluntates, & actiones, quarum quælibet in ſerie ſua ſimplici eſt, ex omnibus vero ſeries actionum humanarum conflatur, quam perfecte prævidere ſola poteſt mens infinita.

§. XIII.

JAm videamus qua ratione ex miraculis loquentis divinitas probari poſſit. Locus iſte celeberrimus factus eſt diſſertationibus Lockii, Clarkii, Leibnitii, VVolphii. aliorumque. Quidam ſunt, qui miraculum vocant, id quod contra naturæ leges fit. Qua definitione poſita nullum erit miraculum: etenim quum leges naturæ ſint leges ordinis æterni, quem Deus in conſervatione mundi ſervat, & contra ordinem Dei æternum nihil fieri a Deo poſſit; ſequitur nihil fieri poſſe contra leges naturales, niſi aut Deum mutabilem facere velimus, aut certe minus potentem, cujus ordini aliquid adverſari poſſit. Alii ergo rectius docent miraculum eſſe id, quod ſupra vires naturæ fit, ideſt ſupra vires eorum, qui miracula agunt, & earum rerum in quibus miracula edunt. Sed inquiunt, hac data definitione, nulla ratione a nobis miracula cognoſci poſſunt: Nam quum ignoremus quouſq; vires rerum creatarum ſe extendant, dicere nunquam poſſumus aliquid eſſe ſupra naturæ vires. Hinc acatalepſia circa miracula inducetur. Reſpondemus, quamquam ignoramus quouſque extendant ſe vires totius naturæ, aut omnium rerum creatarum, ſcimus tamen terminos virium quarumdam rerum, *animalium*, e. g., *plantarum* ſaltem quarundam, *hominum*: itaque quotieſcumqne animal planta, homo aliquid ſupra vires ſuas efficit, id miraculum vocandum eſt.

§. XIV.

ILlud vero quærendum reſtat, quanam ratione ſciri poſſit, ut quod fit ab homine ſupra ſuas vires, id fiat ipſius Dei vi & Spiritu. Facile. In perſonis a Deo miſſis cum miraculis conjuncta erat veræ doctrinæ præ-

dicatio, quæ argumento erat, personas illas a Deo missas, & miraculis hanc missionem comprobatam. Alioquin disertis verbis quum in veteri tum in novo testamento præcipitur nobis, ne solis signis credamus, quæ etiam falsi prophetæ efficere possunt. Frustra igitur Gentiles pro Religione sua miracula jactant; quandoquidem etiam ea facta esse demus, tamen quum Gentilismi tum theoretica erronea est, tum vero maxime practica corruptissima, & fœdissima, si quæ apud eos miracula facta sunt, ea ab aliis causis potius, quam a Deo, facta fuisse, credendum. Generatim igitur, quum constat personam aliquam rectam & sanctam doctrinam docere, nulla ambitione gloriæ laborare, nulla spe voluptatum vel commodi affici, natura sua ab imposturis abhorrere, tenendum est, esse vera miracula ea, quæ facit, usquedum non constat, id per causas naturales & occultas facere. Qui autem dicit, hæc non esse vera miracula, is ridebitur, usquedum non explicabit causas, quibus illa fiunt. Ita deridiculi erant Pharisæi, qui quum nollent admittere miracula Christi servatoris nostri, ineptas, generales, & sibi etiam ignotas responsiones dabant. Loquor autem de miraculis, quæ fiunt nobis inspectantibus, & observantibus. Quando vero narrantur miracula facta, ut missio divina probetur, tum aliud examen est instituendum, nimirum circa auctoritatem narrationum; qua de re superius dictum est.

C A P. IV.

Quanam ratione dignosci possit quænam sint Dei verba.

§. I.

Qua ratione dignosci possit, loquutus ne Deus sit, nec ne, superiori capite edisseruimus. Nunc qua ratione Dei verba valeamus discernere, perquirendum est. Esse hæc possunt vel scripta, vel sine scriptura, a majoribus nostris veluti per manus nobis tradi-

ta.

ta. Quum de libris scriptis agitur, hæc sunt perpendenda. I. Qui fuerint illi, a quibus scripti fuisse dicuntur. II. An libri sint genuini, idest ab iis scripti, quibus tribuuntur, vel eo tempore scripti, quo feruntur. III. An integri sint. IV. Quid de illis coevi homines crediderint, quid proximi sequentes, & reliqui. V. An potuerit aliqua impostura subesse, & an alicujus intererat imposturare. VI. An, quæ libris illis continentur, sint manifeste falsa, aut impia, aut saltem parum pia, & sancta. VII. An constet Auctores librorum illorum miraculis doctrinam illam confirmasse. VIII. An in libris illis prophetiæ opere completæ contineantur. Quæ ut particulatim examinem operæ pretium est.

§. II.

QUod ad primum attinet, si constet librum aliquem scriptum esse a viro theopneusto, seu divino numine afflato, liber divinus habendus erit. Hac ratione Hebræi libros Mosis, Davidis, Esaiæ, aliorumque divinos habuerunt: contra vero, si constet librum a viro non theopneusto scriptum esse, qualia Poemata Hesiodi, aut Carmina Orphæi vel Sybillarum. Qua vero ratione sciri potest, an vir aliquis sit, vel fuerit theopneustus, superiori capite demonstratum est.

§. III.

CEterum magna etiam acribìa heic adhibita est ab Ecclesia, cujus est de verbo Dei judicare. Nempe perquisitum est, an spiritus Dei hominem illum perpetuo afflaverit, an vero aliquando cessaverit: & an vir ille scripserit eo tempore, quo afflatus erat Spiritu Dei, an vero alio tempore. Præterea & id investigatum est, an Spiritus Dei, quum mentem alicujus afflat, eam omnino agat ad ea scribendum, quæ Spiritus ipse suggerit, an vero libertatem illi relinquat ea scribendi, quæ vult, aut aliquid e suo commiscendi: seu, quod idem est, an levis fuerit Spiritus Dei afflatus, an vero talis afflatio, qua mens humana a serie cogitationum suarum aversa fuerit ad ea cogitanda, quæ Spiritus suggerebat. Hæc quam

diligenter perpensa sunt, quod alioquin, periculum erat ne profanum librum, pro divino acciperetur. Quum igitur, ut dixi, hæc omnia ut olim Synagoga, ita deinde Ecclesia Christiana examinassent attentissime, repererunt spiritum autorum theopneustorum Sanctum ita eorum invasisse animos, ut nequiverint aut non ea prædicare, quæ Spiritus Dei dictabat, aut ea mutilare, interpolare, vel quomodocumque corrumpere; ex quo concluserunt libros veteris & novi testamenti divinos esse.

§. IV.

UT autem libri genuinitas, & integritas cognoscatur, quod est secundum & tertium postulatum (§. I.) Artis Criticæ regulæ adhibendæ sunt, de quibus postea. Dependet vero a genuinitate & integritate, libri auctoritas. E. g. idcirco Apocalypsim Johannis Apostoli divinam putamus, quod credamus a Joanne viro theopneusto scriptam, & eandem esse, quam Johannes scripsit. At si quis ex. g. evidenter demonstraret, aut ab alio scriptam esse, aut hanc, quam habemus non esse Johannis Apostoli, aut mutilatam, interpolatam, & depravatam esse, is totam ejus libri auctoritatem labefactaret.

§. V.

EX auctoritate coævorum, aut proxime sequutorum, discimus an liber sit genuinus, & an auctor missionem suam divinam certis argumentis probaverit. Nam si coævi omnes de missione divina Auctoris persuasi fuerunt, nec erant homines stupidi & bardi, quibus facile imponi potuerit, magnum argumentum habebimus pro divinitate alicujus libri. Ceterum volo ut probe examinetur, an coævi isti affectu aliquo erga Auctorem fuerint agitati: nam si cognoscatur eos voluisse illi adulari, ejus beneficiis captos, vel nimio erga illum amore passos esse sibi imponi: aut etiam si ab illo aversi animo fuerint, eumq; injuria exagitaverint; tunc nec pro Auctore, nec contra Autorem testimonium dicere possunt. Sed & hac in re Ecclesia semper audienda est, nec ulterius inquirere fas est.

§. VI.

§. VI.

ILlustremus hæc aliquot exemplis. Plato in Jone observat viros phantasticos, qui magna sui commotione loquuntur, in iis, a quibus studiose auscultantur, easdem commotiones producere; quibus fit, ut auscultatores in loquentis opiniones facile trahantur. Quum Quakerus tanquam Spiritu Dei invasus aliis prædicat id magna commotione, quam oculis totoq; vultu indicat, tum plurimi eorum eodem Spiritu se agitari credunt, itaq; surgunt & ipsi, atque prædicant, uti Voltærius testatur in Epistolis Philosophicis de Quakeris. An putemus hos fidem facere de auctoritate & divinitate alicujus Quakeri? Melanchon credidit facile Lutherum Spiritu Prophetico agitari, tum ob magnam opinionem quam de illo habebat, magnamque amicitiam, quæ ei conjunctus erat; tum etiam ob insolitas & vehementes hominis commotiones, vel furorem. E contrario Pharisæi, jurati hostes Jesu Christi, omnia ejus dicta, facta, in pessimam partem accipiebant, & criminabantur: qui dum de divina missione Jesu agitur, audiendi non sunt.

§. VII.

QUintum postulatum ut rite examinetur, homines exigit acutos & doctos. Possunt imposturæ a diversis causis proficisci. Primum ab ambitione honoris. Hinc plerique se theopneustos simularunt, uti tanquam Prophetæ haberi possent, aut tanquam factionum capita, qualis Mahammedes fuit, qui quum morbo comitiali agitaretur, evulgavit se ab Angelo Gabriele corripi ut ea via summum inter suos principatum obtinere posset. Hujusmodi impostores fuere & inter Hebræos, & inter Gentiles, Muhammedanos, atq; Christianos plurimi, & nunc sunt. Hinc ille Sabatai Sevi, qui præterito seculo se Messiam finxit, Judæosq; omnes Asiæ, Africæ, Europæ commovit, iisq; exitialis persecutionis causa fuit.

§. VIII.

DEinde imposturæ etiam ex desiderio *libertatis*, *commodi*, *voluptatum*, proveniunt. Apud Turcas, qui Santones vocantur, magnam vivendi libertatem acquisiverunt. Hujus libertatis desiderium plurimos facit Hippocritas. Quot sunt hujus generis in omni natione, qui virtutem simulant, ut libere vitiis indulgere possint? Ex hac & superiori causa oraculorum Gentilium tot imposturæ provenerunt. Nempe intererat Mystarum ut crederetur se esse Deum interpretes: inde enim & imperium in animos, & aurum, & vitæ commoda omnia, habebant. Vide similem imposturam Sacerdotum Assyriorum descriptam a Daniele Propheta.

§. IX.

TUm quoque proveniunt imposturæ ex animo nimis religioso, easque vocant pias fraudes. Ita veteres quidam semi Christiani libros quosdam vulgarunt sub Mercurii Trismegisti nomine. Carmina Sybillina, quæ octo nunc libris Græce habemus, ejusdem esse generis Critici putant. Sane demonstrant in quibusdam oraculis Sybillarum, quæ habet Lactantius, nedum Evangelicas sententias usurpatas, sed verba etiam evangelica, quod magnum est argumentum, auctorem horum carminum post scripta Evangelia fuisse. Sed res non est hujus loci.

§. X.

ODium etiam imposturas in Religione peperit. Hinc in primis Ecclesiæ seculis passim vulgabantur Evangelia apocrypha, epistolæ Apostolis adscriptæ, acta Martyrum fabulosa; idque fiebat potissimum per hæreticos, & rerum suarum amore, & nostrarum odio commotos. Plures testantur in Galliis, dum controversiæ acerrime agitarentur Molinistas inter & Jansenistas, plurimos libros falsatos, & interpolatos. At quod scribit Auctor Epistolarum Judaicarum, etiam Jansenii *Augustinum* falsatum a Molinistis, id meram calumniam puto. Qui enim

enim fieri potuit, tot exemplaribus undequaque vulgatis?

§. XI.

NImia vis phantastica plurimas plerumque produxit imposturas. Nam primum phanaticus facile credit se Spiritu Divino agi, quum Spiritu atræ bilis agatur. Hinc tanquam Divina ea vulgare potest, quæ ipse imaginatus est. Possunt esse plures aliæ imposturarum causæ. Quicumque igitur libri alicujus divinitatem nosse cupit, is videat acute, an imposturarum ullæ causæ subesse potuerint, deinde an re vera imposturæ factæ sint. His regulis noscimus Alkoranum Muhammedanorum esse meram imposturam a pluribus simul harum causis; ambitione, spiritu voluptatis & divitiarum, odio nata. Contra vero, libros Apostolicos omnis imposturæ suspicione carere, quod nulla harum causarum in iis locum habuerit.

§. XII.

ACcedamus ad VI. postulatum. Sunt quædam veritates, quæ tam clare, & distincte ab omnibus hominibus perspiciuntur, ut suspicari non possimus, mentes nostras in iis falli: alioquin credendum esset Deum frustra nobis facultatem intelligendi dedisse, aut voluisse ut nos in omnibus perceptionibus nostris falleremur, quod est impium. Veritates porro istæ, quas nemo unquam sanæ mentis in dubium vocavit, sunt varii generis: aliæ ad naturam Dei pertinent, veluti *Deum existere, esse sapientissimum, immutabilem, ab eo mundum esse factum, & gubernari*, & aliæ plurimæ. Aliæ pertinent ad naturam mentis humanæ, aliæ ad naturam corpoream, aliæ spectant jus Naturale & Gentium, atque conservationem generis humani, aliæ ad alias res pertinent.

§. XIII.

QUibus positis sequitur Canon generalis: *Si liber aliquis ea docet, quæ adversantur claris perceptio-*

nis

nibus luminis naturalis, non potest esse divinus: nam nequit Deus docere ea, quæ contra omnem rationem naturalem sunt: quippe ratio naturalis est quasi radius ipsius æternæ rationis Dei: & Deus nequit nos aliud lumine naturali docere, aliud lumine revelationis. Sed caute ad hoc judicium eundem est: fieri enim potest ut, aut rationem naturalem putemus claram & certam, quum tamen non est, aut librum non satis intelligamus, itaque censeamus rationi naturali adversari.

§. XIV.

NON solum autem liber non erit divinitus, si opponatur rationi naturali, verum etiam si opponatur cuicumque certitudini reali. Itaque si liber opponatur *Veræ* historiæ hnmanæ, nequit esse divinus. Eodem modo si liber adversetur aliis libris, quos constat esse divinos, non est ipse divinus. Ratio Canonis semper est eadem, nimirum non posse Deum nos falsa docere. Sed, ut dixi, diligenter observandum est, an probe oppositionem istam cognoscamus: nam facile ob brevitatem mentis decipi possumus. Atque ob eam rationem hæc judicia proprie sunt Ecclesiæ: Quo spectat tritum Augustini illud, *Ego Evangelio non crederem nisi Ecclesiæ me commoveret auctoritas*.

§. XV.

PAriter, quum liber nec pius est, nec honestus, idest aut parum Religioni favens, aut bonos mores enervans; divinus haberi non potest: nam quum constet Deo ab hominibus, aliisque mentibus creatis, Religionem deberi; nec haberi potest Religio nisi cum honestis moribus; sequitur, Deum in libris, quos dictat, non posse aut Religionem evertere, vel elevare; aut bonis moribus efficere. Qui postremus Canon docet, oracula Gentilismi non potuisse a Deo proficisci, aut ab Angelis; quippe quæ idololatriam confirmabant, fœdissimamque morum disciplinam fovebant. Quæ vero ad duo postrema postulata pertinent, quousque scilicet libri divinitas ex miraculis & Prophetis cognosci possit, superiori capite dis-

disseruimus. Interim legatur Huetius in Alnetanis lib. primo ex quo plurima hunc in locum derivari possunt.

CAP. V.

De librorum divinorum interpretatione.

§. I.

EOrum, quæ ad auctoritatem divinam pertinent, priora duo explicata sunt: tertium nunc restat, qua nimirum ratione liber aliquis divinus interpretandus sit. Ea in re adhibendæ sunt partim regulæ generales hermeneuticæ, partim vero & speciales. Generales paulo post explicabimus. Particulares heic complectemur, ut iis hoc in loco morem geramus qui studia theologica aut exercent, aut spectant. Efficiemus per summa capita, ne tractationem theologicam hic adfuisse quis objiciat.

§. II.

OMnium primum conari debemus, quoad possumus, ut quem finem in eo libro dictando Deus sibi proposuerit, intelligamus: ex fine enim libri facile percipimus eorum, quæ in eo docentur, concatenationem, & œconomiam, ut vocant; deinde doctrinæ concatenatione probe intellecta, ejus partes clarius & distinctius cognoscimus: tum vero omnium dogmatum utilitatem pervidemus, atque ita de tota doctrina judicium ferre possumus. Sic, quum sciamus librorum theopneustorum veteris & novi fœderis finem esse, Religionis integritatem sanctitatemque, eorum dogmata facillime perspicimus. Generalis est hæc regula, & ad libros etiam profanos intelligendos, adhibenda.

§. III.

QUoniam igitur Deus, totam doctrinam revelatam ad Religionis sanctitatem, & ad morum conformationem adtemperavit (§. 2.); opus fuit, ut ad ho-

mines.

mines loqueretur ea lingua, iisque linguæ phrasibus, quæ consuetæ erant iis, ad quos loquebatur: nam si aut aliena lingua, aut ignotis linguæ phrasibus loqui voluisset, revelatio sua ignota mansisset, frustraque facta fuisset. Ex quibus inferimus, in libris veteris, aut novi fœderis Hebraice, aut Græce scriptis, verba & phrases esse intelligenda ex usu nationis Hebraicæ, quæ Hebraice, aut Græce loquebatur; nec esse in verbis & phrasibus semper emphases, & mysteria investiganda. Hac in re veteres quidam scripturæ interpretes peccaverunt, quæ linguæ aut Hebraicæ, & Chaldaicæ, aut Hellenisticæ, seu Græco-judaicæ, indolem, & genium ignorantes, atque ubique mysteria venantes, sententias suas divinis Scriptoribus attribuerunt.

§. IV.

EX eadem §. 11. doctrina & hanc regulam, pro Sacra Scriptura interpretanda, deducimus, *non* esse semper in libris Sacris pervestigandas veritates sublimes, & a captu populi longe remotas, metaphysicas, Astronomicas, Physicas, & id genus alias, quæ ad Religionem, & mores non pertinent (*a*). Nam quum Deus his libris Religionem & mores purgare atque formare constituerit, volueritque doctrinam captui totius populi adtemperatam esse, fini suo contrarius fuisset, si doctrinam moralem sublimibus sententiis, & disciplinis obscurasset. Quo circa deridiculi ii mihi videntur, qui ex Scripturis Sacris auxilia arcessunt, ut probent ideas innatas, aut magnitudinem, & motum Planetarum, aut spatium vacuum, aut similia: quasi Dei interfuerit humanam curiositatem sua revelatione explere, & non potius mores emendare. Fœdant igitur Scripturas, qui Systemata Gassendistica, Cartesiana, Nevvtoniana, Leibnitiana in libris Christianorum Sacris perquirunt. Hoc autem ita intellectum volo, ut sicubi in scripturis sacris veritates istæ tradantur, scripturarum potius sententiæ, quam ullæ philosophorum ratiocinationes sint audiendæ.

§. V.

(a) *Vide virum doctum Ant. Muratorium* de Moderatione Ingeniorum.

§. V.

NEc vero ista ita intelligenda sunt, quasi in libris Christianorum Sacris omnia sint plana & facilia, nulla obscura & perplexa: nam ipsi Commentatorum labores, variæ interpretationes, lapsus, aperte demonstrant, plurima esse in his libris obscura & intricata. Sed hæc tamen sine ulla Sacrorum Scriptorum culpa, nobis obscura sunt; atque id ob duas potissimum caussas, linguæ nempe, & veteris historiæ, ignorationem. Etenim quum lingua Hæbraica interciderit, vetusque Hebræorum historia, mores, consuetudines, opiniones magna ex parte ignorentur, plurima in libris Sacris, qui ab Hæbreis, & Hebræis potissimum scripti sunt, obscura evaserunt, quæ quum libri illi scriberentur, clare patebant. Hinc natæ infinitæ illæ quæstiones Chronologicæ, Geographicæ, aliæque plantas, animalia bruta, gemmas, leges politicas, ceremonias, spectantes, quas docti magna inter se contentione agitant, quæque definiri nullo modo possunt.

§. VI.

EST etiam alia, eaqua generalis causa, qua libri Sacri obscuri sunt, nimirum *Prophetiæ:* etenim quum Prophetiæ res aut occultas, aut futuras spectent, obscuritate quadam perfunduntur, itaque plerumque laborandum, ut personis, factis, temporis, locis adaptentur. Sed sunt tamen aliæ aliis obscuriores: nempe interdum Prophetæ pauciores, interdum plures notas *rei prædictæ* explicant: illæ igitur prophetiæ his obscuriores sunt. Extant in libris sacris antiquis, præter ceteras, duæ celeberrimæ de Messia Prophetiæ, altera Jacobi (Geneseos 49.) Danielis altera: utraque plurima obscuritate perfusa, sed prior posteriore profecto obscurior. Etenim in Danielis prophetia unum tantum est, quod obscurum est, tempus scilicet, unde septuaginta illæ hebdomades incipiant. At in Jacobi Prophetia plura sunt intricata, & obscura. I. Quid Sceptri & Ducis vocabulis intelligatur. II. Quodnam sit tempus, ex quo memoratus Judæ Dux, non defuturus, nisi quum venerit Messias,

ſias, regnare incipiat. III. Quid vocabulo *Judæ* ſignificetur: totaan gens Ebrea, an ſola *Judæ* tribus.

§. VII.

PRæterea, vocabula ſunt ſigna idearum & cogitationum loquentis: ideæ vero & cogitationes perfectiores ſunt in mentibus magis perfectis; ergo vocabula eadem a diverſis mentibus per organa corporea pronunciata non eaſdem ideas explicant: nam pronunciata a mente perfectiori ideas perfectiores exprimunt, pronunciata vero a mente minus perfecta, ideas minus perfectas referunt. Quum igitur vocabula Scripturarum divinarum a Mente divina dicta fuerint, profecto ideas longe perfectiſſimas exhibere debent, quam ſi ab ulla creatura pronunciata fuiſſent. Atque hinc alia cauſa obſcuritatis ſcripturarum theopneuſtarum arceſſenda. Hinc veteres Eccleſiæ Patres hanc regulam ſtatuerunt, *eodem ſcilicet ſpiritu ſcripturas ſacras intelligendas, quo dictatæ ſunt, eum vero Spiritum Eccleſiæ datum*.

§. VIII.

EX quo alia regula Scriptionum Sacrarum interpretandarum ſequitur: nimirum, *eas interpretandas eſſe ex conſenſu totius Eccleſiæ Chriſtianæ*. Nam quum Scripturæ Sacræ eodem Spiritu rite intelligi poſſint, quo ſunt dictatæ (§. 7.); & hic Spiritus toti Eccleſiæ datus ſit, deturque etiamdum, ut ipſæ Scripturæ docent; efficitur, ut ex conſenſu Eccleſiæ rite interpretari Scripturæ Sacræ poſſint, quod in Comitiis Tridentinis ſapienter ſtatutum eſt, nempe Scripturas interpretandas juxta ſenſum quem ſemper tenuit Eccleſia, hodieque tenet.

§. IX.

POſtrema iſtæc regula alia etiam ratione confirmatur. Scriptores theopneuſti, potiſſimum Evangelici, Spiritu & numine Dei afflati erant: Sacram ergo revelationem primum iis a Jeſu Chriſto communicatam, deinde quinquageſima a Chriſti morte die per ſpiritum Dei uberius enucleatam, auctam, confirmatam,
cla-

clare, & distinctæ percipiebant, eamque partim scriptionibus, partim sermone docuerunt. Itaque si in scriptionibus aliqua subrepsisset obscuritas, eam voce diffiabant: Ita Ecclesia Christiana nedum Scripturas Evangelicas, sed earum quoque sensum ab Apostolis accepit: ex quo regula §. 8. confirmatur.

§. X.

SED Scripturas veteris testamenti nihil tam reddit obscuras, quam ratio loquendi per enigmata, parabolas, allegorias perpetuas, metaphoras, & catachreses; quam loquendi rationem qui assuetudine lectionis non didicit, Scripturas istas interpretari non potest. Mos iste scribendi usitatus omnibus orientalibus nationibus: hodie Arabes eundem habent stylum. Muhammedis Alkoran eadem ratione scriptus est. Sed Ægyptiis in hoc scribendi more primas partes lubenter demus. Adeatur Plutarchus sub initium aurei libelli de Iside, & Osiride. Hi enim per enigmata, & hyeroglipbica res paulo sublimiores, & diviniores explicabant. Idem inde Hebræis mos hæsit. Moses præcipue, qui in Ægyptiorum sapientia per 40. annos innutritus est, haud raro eundem stylum sectatus est. Prophetæ quoque eorum stylo utuntur. Psalmi Davidis ob eum stylum vix intelliguntur. Ipse Jesus Christus non loquebatur nisi in parabolis; quod nimirum sciret huic stylo Hebræos adsuetuos esse. Veteres quidam patres in primis Origines eam potissimum ob causam, etsi non recte, allegoricus intelligebant quæcumque Moses de sex diebus, Serpente & Paradiso terrestri scripsit (a).

§. XI.

CEterum tria heic cavenda sunt. Primum ne allegorias etiam ibi vestigemus, ubi nullæ sunt, in quo maxime peccavit Origines & aliquot alii veteres. Secundum ne in alterum extremum deflectamus, nullas, aut ad-

(a) *Vide, si licet, quæ hac de re scribit Burnetius in Archæologiis philosophicis:*

admodum raras esse allegorias istas, in quo recentiores interpretes, sensus literalis æquo nimius amantes, plerumque peccant. Tertium ne putemus stylo hoc allegorico, & tropologico semper mysteria contineri, quod interpretes sæculorum Europæ barbarorum qui in ipsis idiotismis Hebraicæ linguæ, quam egregie ignorabant, reconditos sensus ut plurimum paullo frigidiores reperiebant, fecerunt.

§. XII.

QUum dico, non investiganda mysteria in *stylo* emphatico non est animus sensum, quem vocant mysticum, negandi: tantum ut ne extra modum aberretur moneo. Quod vero pertinet ad sensum mysticum, dici nequit quanta acribia opus sit, ut rite perspiciatur. De hac re pauca. Omnium primum sciendum est, homines propter Adæ peccatum, & beatitudinem & vitam æternam amisisse, nullamque in se opem relictam esse, ut amissa illa bona iterum consequi possint. Ergo Deus eos miseratus, vel ab Adæ tempore promisit Restauratorem & Servatorem, quem Hebræi Messiam appellant: statuitque eos omnes immortalitatem & beatitudinem consequuturos, qui Messiæ obtemperarent, crederentq;. Sed ut promissi Messiæ memoria coleretur, variis rationibus usus est, quarum potissimæ fuerunt prophetiæ.

§. XIII.

EST autem Prophetia aut vocabulis facta, aut re. Quum Daniel prædicit, fore ut post quoddam tempus ungatur *Sanctus Sanctorum*, disertis verbis Prophetia concepta est. Sed quum Moses penuria aquæ saxum percutit, ex quo aquæ effluant, Messias ille adumbratur, ut docet Paulus, licet, *re*, non *verbis*. Plurimæ sunt in scriptis veteris testamenti *allusiones* ad Messiam; quarum aliæ obscuriores; quædam disertis verbis; aliæ rebus ipsis continentur. Hinc Paulus Apostolus scribit, Hebræis *omnia in figura contigisse*. Et in Epistola ad Galatas

duos

duos Abrahami filios Ismaelem de serva susceptum meliere, & Isacuum ex libera, duo esse testamenta, vetus, & novum, interpretatur. Non igitur negare possumus cum sensu scripturarum literali mysticum junctum plerunque esse. Sed non satis monere possumus, uti interpretes scripturarum caveant, ne sensum hunc ipsi faciant, non reperiant. Inde enim natæ sunt frigidæ allusiones, &, ut vocant, *accommodationes*, quæ paulatim apud plerosque pro sensu literali acceptæ sunt. Eg. Scriptum est in Salomonis *Cantico*, *tota pulchra es*, *&* *macula non est in te*. Ea verba Ecclesia Beatæ Mariæ Virgini aptat, idque sapientissime, quod ea sine ullo peccato originali sit concepta. At quum nihil definiat de sensu illorum litterali, vetere sque Patres de Ecclesia Christi, quæ *nec rugam habet*, *nec maculam*, intelligant, non recte faceret aliquis, qui affirmate, & contentiose *ad literam* de B. M. V. hæc intelligeret, etsi pie faceret. Idem dicito de aliis plurimis: nos enim ad fontem digitum intendisse contenti sumus.

§. XIV.

UT igitur sensum hunc mysticum rite perspiciamus, primum omnium advertendum censeo, an recentiores scriptores divini illum in vetustioribus observaverint. II. An Ecclesia Catholica eum sensum agnoverit. III. An circumstantiæ rerum, vel narrationis eum indicent. IV. acuti, & minus prejudicati interpretes de illo cogitaverint. Quæ qui spernit, is ridiculas sacrorum librorum interpretationes affert, & se misere in illis intelligendis hallucinat, potestque alios plures in errores suos inducere.

§. XV.

HÆc passim ab aliis observata. Quæ sequuntur minus sunt ab Interpretibus Animadversa. Omnes cujusque nationis Scriptores ad quatuor classes referri possunt: nam aut *historici* sunt, aut *Poetæ*, aut *Philosophi*, aut *Oratores*: ita apud Græcos ad primam classem referuntur Herodotus, Tucidides, Diodorus Siculus:

P ad

ad secundam Homerus, Pindarus, Sophocles, Menander ad tertiam Plato, Aristoteles: ad quartam Demosthenes, Isocrates. Apud Hebræos, perspecte id post alios, in primis B. Hieronymum, observante Ricchardo Simonio viro κριτικώτατῳ, Moses, Samuel, historicos referunt; Davides, Jobus, Poetas; Salomon, Sidrach, Philosophos; Esaias, Ezecchiel, aliique Prophetæ, Oratores. Quibus nominibus nolumus quicquam eorum divinitati detractum. Scriptionum tantum characteres indigitamus.

§. XVI.

JAM quum non idem character, nec idem stylus sit Scriptorum quatuor illarum classium, tu quum librum aliquem Sacrum interpretandum suscipis, id primum inquiras oportet, ad quam classem pertineat, scilicet historicus, aut philosophus simpliciori stylo utitur: elegantiori, graviori, tropis & schematibus abundantiori Poeta & Orator. Phrases minus usitatas plerumque adhibet Poeta: res novo circuitu verborum exhibet: magis tropologicus est. Proxime sequitur Orator. Ergo historicos, & philosophos minus, Prophetas, & Poetas magis allegorice interpretaberis.

§. XVII.

SED & hinc cognoscitur alia regula Scripturas Sacras interpretandi, omnium utilissima, & maxime generalis: nempe observandum est, *verba scripturarum ex cujus persona proferantur*. Nam quanquam in omnibus scriptis sacris unus sit narrator Deus; at Deus non semper ex persona sua verba pronunciat, sed aut ex sua, aut ex persona Angelorum, aut ex persona dæmonum, ut ex hominum persona: quæ verba non eodem omnia modo sunt examinanda. Nam quæ Deus profert ex persona sua, nedum verum est ea dicta esse, sed veritatem etiam continent, & honestatem, veluti quum dicit apud Mosem, *non est bonum hominem esse solum*, *non permanebit spiritus meus in homine in æternum*, apud Hieremiam, *Cœlum & terram ego impleo &c.* At quæ ex persona aliorum proferuntur, verum est esse dicta;

cta; Deus enim testatur; at possunt tamen continere ut veritatem & honestatem, ita falsitatem, aut turpitudinem. Veluti quum dicit Davides, *dixit insipiens; non est Deus*, tantum verum est, hoc dictum aut cogitatum fuisse. Cain dicit, *omnis qui inveniet me occidet me*, veritatem habet historicam; at fallebatur fortassis Cain a timore. Pharisæi dicunt Christo in *Beelzebu ejicis dæmonia*, revera id dictum est, falsum quod est dictum. S. Lucas refert orationem beati Stephani ad Judæos, in qua errores quidam sunt historici & Chronologici: uti recte post Bedam aliosque observat Canus de locis lib. II. cap. XVIII. pag. 84. edit. Patav. 1727. verum est illa dixisse Stephanum: refert enim ea Spiritus Sanctus qui loquebatur per Lucam: sed falsa esse potuerunt quæ dixit Stephanus. Est hæc observatio ejusdem Theologi doctissimi *ibidem*.

§. XVIII.

JAM vero ad Sacram Scripturam intelligendam necessaria est triplex historia, atque triplex historiæ œconomia. I. historia *gestorum*. II. historia *doctrinarum*. III. historia *verborum*: tum trium harum historiarum OEconomia. Conetur scilicet interpres sibi ponere ante oculos in tabulis Chronologicis præcipua scripturarum gesta: ea comparet inter se. Ita ex claris ea, quæ paulo sunt obscuriora intelliget. Deinde idem faciat cum doctrinis: earum sibi conficiat seriem: omnes cum omnibus comparet. Hoc modo obscuras ope clararum interpretabitur. Tandem habeat historiam verborum, idest sciat quodlibet verbum, quælibet phrasis, quoties in Scriptura occurrat, & cum quibus notionibus adhibeatur. Scire e. g. volumus quid sibi vult hoc, *credere in Christum*, omnes locos ubicumque id occurrit, colligemus, factaque comparatione conabimur perspicere quid id significet. Agendum est de interpretatione horum vocabulorum *Spiritus Dei, vel Domini*, omnes locos conferemus, in quibus adhibetur. Hæc Oeconomia magnum subsidium præstabit Theologo ad Scripturas interpretandas. Utilissimæ tam ob rem sunt Harmoniæ, Concordantiæ, & hujuscemodi alii libri.

§. XIX.

Tandem nihil magis turbat plerumque interpretes Scripturarum, quam locutionum emphasis, quæ vetustis Scriptoribus, potissimum Orientalibus, gentilis erat. Est emphasis duplex: aut enim verba *minus sonant plus significant*; aut *majus sonant*, *minus significant*. Utriusque plurima occurrunt in Scripturis Sacris exempla: ea, nisi perspecte intelligantur emphases, & dimetiantur, non intelliguntur. Ad posterius genus pertinent locutiones Scripturarum, in quibus res quædam insignes ex *Dei nomine* appellantur. Ita cedrus altissima *cedrus Dei*, *mons altissimus*, *mons Dei*, horribilis tempestas, tempestas Dei, vel *a facie Domini*, vehemens ventus, *Spiritus Domini*. Quinimo quum Deus ipse quædam facit insolita dicitur plerumque fecisse *Dominum a Domino*. Ad prius genus hæc pertinent, hic *est filius meus dilectus*, ideſt filius *unigenitus & consubstantialis*. Quis *mensus est terram pugillo*? minus sonat, at significat Omnipotentiam. Qui fecit *Cœlum & Terram*, ideſt omnia, &c. Atque hæ rægulæ præcipuæ & memoratu nobiliores: nam quæ minus sunt præcipuæ passim in vulgaribus libris prostant, eæque sunt numero pene infinitæ, potissimum quæ spectant ad genium linguarum Hebraicæ, & Græcæ.

CAP. VI.

De Librorum Mendis.

§. I.

Qui in sapientiæ studio autoritate utuntur veterum, in id potissimum acres intendere curas debent, ut ne a mendis, quæ variis ex causis in antiquos libros irrepere potuerunt, decipiantur, idque veteribus tribuant, quod illi nunquam scripserunt. Infinita autem menda in veteres libros irrepere potuisse, non est quod dubitemus, maxime si observaverimus, ignotam antiquis fuisse artem typographicam, quæ

tan-

tandem circa decimiquinti seculi æræ Christianæ medietatem ab Europeis aut inventa est, aut cognita; adeoque libros omnes manu exscribi oportuisse. Quot autem menda, & quotuplicia admitti possunt dum aliquid manu exscribitur, ii tantum ignorare possunt, qui nihil unquam aut scripserunt, aut excripserunt.

§. II.

CAusas autem omnes mendorum hujusmodi ad quatuor classes retulit Joannes Clericus, qui in Arte Critica ex instituto ea de re disseruit, *Librarios*, *Criticos*, *Impostores*, *Tempus*. Has per summa capita delibat loco citato capite primo. Atque primum Librariorum *incuria*, *aut imperitia*, pergit ille, pleraque sine dubio menda irrepserunt, quæ nos nunc exercitos habent; cum enim plerosque libros describerent, ab iis longe maximam mendorum segetem provenire necesse fuit. *Incuriæ* peccata tot & tanta sunt, ut difficillimum sit sibi ab ea cavere. Novit enim quisque, si quid exscribat parum adtentus, non modo se affinia vocabula, dum animus peregrinatur, miscere; sed diversa plane scribere, detrahere, addere, & nescio quot peccata admittere, quorum rationem ipse postea reddere non posset, nedum ut alii eam deprehendere queant. *Imperitia* quoque in describendo, si magna sit, ut sine dubio magna sæpissime fuit in Librariis, monstra etiam mendorum parit; cujus exemplorum ingentem copiam omnes MSS. Codices, omnesque Criticorum libri suppeditant.

§. III.

SED variis modis imperiti, aut indiligentes Librarii in errorem delabi potuerunt, quos indicasse, quod licebit, inutile non erit. Cum alii dictarent, alii scriberent, ab utrisque varia provenire potuerunt menda. Ut a *dictante* incipiam, ille, licet statuamus emendato Codice esse usum, si non fuit satis peritus, sæpissime decipi potuit, dum non bene legit, quæ bene scripta erant. Cum enim manu exararentur omnia, multique sine dubio non pulcre pingerent litteras, ut hodie fit, loca fuere, in quibus legendis homines rei aut linguæ

non satis periti cespitare potuerunt. Voces adfines, aut similes litteras facile misceant. Si vox quæpiam bis repeteretur, & forte ad eam usque vocem, ubi primum occurrebat, dictassent; sæpe fiebat, ut, omissis interjectis, ea quæ vocem secundo repetitam sequebantur, priori proxime subjicerent; aut etiam integros versus, aliud agentes, omitterent. Præterea dictantis, & festinantis lucri causa, vox non semper fuit satis clara, aut pronunciatio satis distincta, ita ut scribentes, licet adtenti, quid dixisset, non satis intelligentes, scriberent quod sibi audivisse videbantur, adfinesque sono litteras, syllabas, voces confunderent. Vocabula varia, apud Græcos præsertim, aut eodem, aut pene eodem modo pronunciabatur, quamvis diversissima; eaque a scribentibus, aut imperitis, aut parum adtentis, facile poterant misceri; cum præsertim celeriter scribentibus, & sequentia adtendentibus, non satis esset temporis ad videndum, utrum vox, quam scripserant, loco conveniret; aut ad interrogandum dictantem.

§. V.

PRæterea cum *dictans* videret sæpe in margine exemplaris, quo utebatur, quiddam scriptum, poterat suspicari, verba esse a Librario festinante omissa, quæ Criticus ad oram postea scripsisset; præsertim si commode possent inferi, ita ut orationis series iis nequaquam turbaretur. Attamen ejusmodi verba sæpe interpretationes sunt Grammaticorum, aut eorum, qui Codicibus illis usi erant; quo factum, ut tam sæpe Critici in contextum orationis admissa *glossemata*, querantur.

§. VI.

DUbium non est quin Librarii, qui vitam tolerabant quæstu, quem in describendis libris faciebant, pluribus simul dictarent, ut una opera plura haberent ejusdem operis exemplaria; sed fuerunt etiam sine dubio pauperiores, qui vendebant ea quæ ipsi ex libris, nemine dictante, *descripserant*; qua in re, eadem fere irrepere potuerunt menda, quæ vitio *dictantis* debentur, ex-

exceptis iis quæ ex mala pronunciatione oriebantur. Præterea dum integra commata, aut etiam integras periodos legunt ac postea scribunt, festinandi causa, quid mirum, si quidpiam omittunt, aut synonymas voces pro aliis scribunt? quod in omnibus antiquis Scriptoribus animadverterent, quicumque varias lectiones, e veteribus MSS. Codicibus collectas, paullo adtentius expendent. Innumera sunt ejusmodi, in variis lectionibus Veteris Testamenti, ex Versione LXX. Intr. & Novi, ut omnibus liquebit, ex inspectis collectionibus dudum & non ita pridem editis. Postremis præsertim sæculis, quicumque imperiti veteris ortographiæ, ex antiquis Codicibus quidpiam transcribebant facile falli poterant, dum alias esse voces putarent, quam reipsa erant.

§. VII.

HAnc in rem observandam non semper, apud omnes Gentes, eamdem fuisse rationem pingendorum characterum, aut accentuum adscribendorum. Apud Latinos antiquissimis temporibus, character erat quadratus & majusculus, qualis in veteribus Inscriptionibus & MSS. etiamnum cernitur; nisi quod figuræ litterarum calamo tam eleganter pingi non solerent, ac scalpro. Deinde invaluit scriptura, quæ *Longobardica* dicitur, rotundior & similior huic nostræ, qua hodie utimur. Hac exarati sunt plerique omnes MSS. Codices, qui nunc extant in Bibliothecis, perpauci vetustiore illo Romano. Creditur ita dici ea Scriptura, quod MSS. plerique ejus ævi, quo *Longobardi* Italia potiebantur, eo characterum genere sint conscripti. Sunt & qui *Saxonicam* scripturam aliasque huic addant; sed non tantum est earum a priore discrimen, ut seorsim expendi debeant. Vide, hac de re *Joannis Mabillonii* Lib. V. de re Diplomatica, ubi omnium earum scripturarum specimina profert.

§. VIII.

SUnt in Veteribus, seu Majusculis litteris, aliquot sat similes, præsertim si parum eleganter pingantur;

quæ non difficulter a Librariis rerum ipsarum imperitis, nec vocum significationem tenentibus, misceri potuerunt. Cujus rei ratio, in emendationibus maxima habenda est. Similia animadvertenda de litteris Longobardicis. Sæpe factum ut menda irreperent in Codices Romano vetere charactere scriptos, quæ in Longobardicos transfusa sunt; deinde & nata nova eorum progenies, ex Longobardica scriptura; quibus mendis plurima nunc loca usque adeo depravata sunt, ut in integrum restitui nulla ingenii ope possint.

§. IX.

GRæcorum etiam characterum aliqua videtur esse facta mutatio: nam cum antiquissimi quadrati essent, quales in Inscriptionibus visuntur, postea inter scribendum videtur rotundiores esse facti. Qua de re consulenda *Palæographia Græca* doctissimi Monachi Benedectini *Bernardi de Montfaucon*, Lutetiæ edita. Sed præterea accentus, & spiritus, qui in antiquissimis Codicibus nulli erant, in recentioribus sunt additi; unde nata etiam nova menda, dum hæc perperam adpinguntur. Vide, apud eumdem veterum Exemplarium MSS. specimina.

§. X.

APud Hæbræos, ante tempora captivitatis Babylonicæ, in usu erat id litterarum genus, quod a Phœnicibus acceperant, & quod vulgo *Samariticum* vocatur, eo quod id servarint Samaritæ. Deinde is character in Assyriacum mutatus est in Captivitate, ut demonstrarunt viri doctissimi, & potissimum *Lud. Cappellus*, in Diss. de Litteris Hebræorum. Sed & Clericus quædam dixit, in Dissertatione de Nummis characteribus Punicis signatis, XI. *Bibliothecæ Selectæ* Tomo. Cum Hebræorum Librarii, aut *Scribæ*, homines essent, quemadmodum Græcorum & Latinorum, menda similia admittebant.

§. XI.

§. XI.

VErum aliud animadvertere licet, in Codicibus antiquissimis, cum Græcis, cum Latinis, quod & in Hebraicis fuisse ante Massoretharum tempora, nonnulli Judæi fatentur; voces, nimirum, nullis insterstitiis sejunctas, nec ullis interpunctionibus separatas esse; aut, nimium quam plurimas ita conjunctas, quasi essent una vox; quo factum ut non modo falsis interpunctionibus, ab hominibus non satis peritis, corrumperetur postea sensus; sed etiam ut syllabæ conjungerentur, quas divelli oportebat; aut contra divellerentur, quæ conjungendæ erant. Hinc intelligere licet, munus *Anagnostæ*, temporibus illis, non fuisse indocti prorsus hominis, cum ejusmodi Codicibus utebatur; nam ex tempore orationem interpositis moris dividere, cum divisa in Codice non esset, cujusvis certe non erat. Insigne ejus rei exemplum legere est apud *A. Gellium*, Lib. XIII. c. 30. *Laudabat*, inquit, *venditabatque se quispiam in Libraria sedens, homo inepte gloriosus, tanquam unus esset, sub omni cœlo satyrarum M. Varronis enarrator; quas partim Cynicas, alii Menippeas adpellant; & jaciebat inde quædam non admodum difficilia, ad quæ conjicienda adspirare posse neminem dicebat. Tum forte eum ego librum ex iisdem Satyris ferebam, qui ὑδροχόων inscriptus est. Propius igitur accessi, & nosti, inquam, magister, verbum illud, scilicet è Græcis vetus; musicam quæ sit abscondita, eam esse nulli rei? Oro te legas hos versus pauculos, & proverbii istius, quod in his versibus est, sententiam dicas mihi. Lege, inquit, tu mihi potius, quæ non intelligis, ut ea tibi ego enarrem. Quonam, inquam, pacto legere ego possum quæ non adsequor? Indistincta namque fient & confusa quæ legero & tuam quoque impedient intentionem. Tunc aliis etiam, qui ibi aderant, compluribus idem comprobantibus desiderantibusque, accepit a me librum veterem fidei spectatæ, luculente scriptum; accepit autem inconstantissimo vultu & mœstissimo. Sed quid deinde dicam? Non audeo hercle postulare, ut credatur mihi. Pueri in ludo rudes, si eum librum accepissent, non ii magis in legendo deridiculi fuissent;*

iia

ita & sententias intercidebat, & verba corrupte pronunciabat.

§. XII.

AD hæc omnia, si accedat incuria *dictantis*, aut *scribentis*, aut utriusque simul; potuit alter dictare quod cogitabat, non quod erat in libro, aut alter scribere id quod animum ejus avocabat; quod nobis contingit, cum animus distrabitur aliis cogitationibus. Indidem variæ luxationes ac transpositiones, sequentium ætatum Criticis crucem fixuræ, provenire potuerunt.

§. XIII.

PRæterea & hoc sæpe accidit, ut a festinantibus Librariis per compendium multa scriberentur, omissis aliquot syllabis, quæ Lectori conjiciendæ relinquebantur. Eæ vero vocum contractiones sæpe male a Librariis aut Criticis intellectæ pepererunt maxima menda, cum in nominibus adpellativis, tum etiam in propriis.

§. XIV.

ANtiquissimis temporibus, cum litterarum studia in Græcia atque in Italia etiamnum florerent, Librariis pœne solis aut Criticis imperitis, vel æquo audacioribus tribui poterant omnia menda; sed cum barbaries Orientem, sub Imperatoribus Christianis jam invasisset, & una cum ea crevisset mirum in modum Monachorum numerus; hi cœperunt veteres libros in Monasteriis exscribere, cumq; eorum plerique homines essent non satis docti; præsertim ad humaniores litteras quod adtinet, quippe in legendis Liturgiis potissimum occupati, menda innumera admittebant. Quod fiebat in libris Græcis, apud Græciæ & Asiæ Monachos, idem factitabant in Occidente alii Monachi, ad libros Latinos quod spectat. Hinc fit ut perpauci sint Græci, aut Latini Codices MSS. qui non scateant mendis, præsertim qui complectuntur res non ita vulgo notas.

§. XV.

IGitur cum antiquissimi Librarii parum emendate Codices describerent, iique Codices postea in manus exscriptorum ignarorum inciderent; quid mirum, si depravatissimi pervenerunt in manus nostras? Cum autem inventa est Typographia, viri docti, pro illo ævo, qui ex MSS. primum typographicis litteris descripta ediderunt veterum monumenta, persæpe nimis ingenio suo indulserunt, in emendandis quæ vitiosa ipsis videbantur; unde nata in Editionibus, ex primis illis expressis, nova menda; quæ nonnisi inspectis denuo Codicibus MSS. hoc & præteritis sæculis, tolli a viris doctis potuerunt. Sed & horum multi imperitia, aut audacia nimia, qua conjecturas suas, quasi exploratas lectiones, in Veterum contextum admiserunt, eorum Scripta conspurcarunt; ne jam loquar de Typothetarum mendis, quæ vix possunt omnino vitari.

§. XVI.

II. QUot & quanta orta sint ex Librariorum aut indilligentia, aut imperitia menda satis, ut opinor, liquet ex superioribus. Hæc cum CRITICI jam olim animadverterent, hoc in se laboris susceperunt, ut exemplaria optimorum quorumque Scriptorum manu sua emendarent; cum in gratiam amicorum, tum etiam lucelli causa, quod exemplaria ab eruditis Grammaticis emendata majore pretio emerentur. Sed cum hi Critici non omnia æque intelligerent, nec pari omnes judicio valerent, sæpe quæ emendatione indigebant, quasi sana transvolarunt; aut contra violentas manus iis, quæ recte posita erant, adtulerunt. Quæ omnia exemplis pluribus comprobari possent.

§. XVII.

III. SEd & homines nequam; quos non Criticos vocaverim, cum Critica nequaquam uterentur, sed FALSARIOS, data opera, varia in Veterum scriptis mutaverunt, aut iis detraxerunt, vel adsuerunt, ut le-

ut legentes fallerent. Quod in antiquitatibus Ethnicis rarius contingit, in quibus operæ pretium non erat fallere; sed in Ecclesiasticorum Scriptorum antiquissimis monumentis, quæ contendentes Christiani in suas quique partes trahere conabantur, frequenter accidit.

§. XVII.

AD hæc omnia accessit VETUSTAS, qua factum ut antiquissimæ membranæ &. chartæ laceræ, vel ita situ adfectæ, ut litteræ sæpe deletæ essent, ad posteros pervenerint. Hoc modo, sine culpa ulla Librariorum, Criticorum, aut Falsariorum, plurimæ lacunæ in Veterum Scriptis factæ sunt, quæ sæpe nullo ingenio expleri possunt; aut si non incommode expleantur, desiderium tamen in nobis verorum Scriptoris verborum relinquunt. Hæc omnia vir doctus longa exemplorum serie sequentibus capitibus comprobat, quæ provectiores, si licet, apud ipsum potius legant.

CAP. VII.

Quod veteres quum Librarii, tum Critici, aliique impostores, libros aut depravare, aut supponere consueverint, & quod quædam sint indicia, quibus integri a corruptis, genuini a spuriis discerni possint.

§. I.

DIfficile dictu est, quot libri aut mutilati aut interpolati, aut suppositi & apud veteres, & medio ævo, & postremis tandem temporibus ad nos devenerint. Qui in Criticorum libris minus sunt versati, dum facile credunt quidquid aut scriptum, aut typis editum extat, & integrum, & genuinum esse, nec internoscunt *quid distant aera lupinis*, non possunt non in plurimos; ex aliorum autoritate dum toti pendent, errores labi. Ergo ut caute perspecteque in usu librorum versentur tirones, duo sunt hoc in loco præstanda. Primum demonstrandum est quam consuetæ fuerint quovis ævo depravationes hujusmodi & imposturæ: deinde indicia tradenden-

denda sunt, quibus integri a corruptis, nothi a genuinis libris discerni possint.

§. II.

SUperiori capite demonstratum est librorum depravationes, aut etiam suppositiones a pluribus caussis manare potuisse. Nunc paucis ostendam id revera factum esse. Galenus (*a*) sic scribit: *antequam reges, qui erant Alexandriæ & Pergami de possessione veterum librorum studiose contenderent, nondum ullum falso inscribebatur opus. Sed postquam præmium accipere cœpissent qui antiqui alicujus hominis scripta iis afferebant, sic demum MULTA FALSA INSCRIBENTES adportabant.* Idem Galenus alibi (*b*): *temporibus Attalicorum Regum qui de acquisitione librorum inter se contendebant, cœpit fraus circa inscriptiones & dispositiones librorum fieri ab iis, qui pecuniæ caussis ferebant ad reges virorum illustrium scripta.* Nec putandum est hoc demum tempore fraudes istas fieri cœptas: nam sæpe idem factitatum ab antiquioribus, plurimis exemplis probat Johannes VVovverius in Polymathia cap. XVI. Sane Ammonius in Categoriis Aristotelis testatur tempore Ptolomæi Philadelphi plurimos libros Aristoteli suppositos, quod eos carius emeret Princeps ille. Diogenes Laertius lib. II. §. 60. scribit Æschinem a Menedemo Eretriensi accusatum *quasi complures dialogos qui Socratis essent, a Xanthippo acceptos pro suis supposuisset.* Quid plura? quot vulgarunt Ægyptii libros sub nomine Mercurii? quot supposuerunt Zoroastri Chaldæi? quot Orpheo Traces? Latinis ipsis, quamvis rigidioribus, idem factitatum probat Clericus (*c*). Quod vero diximus de suppositione librorum, idem, & majus etiam intelligendum est de mutilatione, interpolatione, depravatione.

§. III.

IN primis Christianismi seculis easdem fraudes factas passim quæruntur Ecclesiæ Patres. Ajunt hæreticos ut

(a) *Galenus comm: I. in Hippocratem de natura hominis ad textum 42.*

(b) *Idem præfatione comm: II.*

(c) *In art. Crit: tom. II. p. Sect: III. 2. cap. I.*

ut somniis suis auctoritatem conciliarent, libros, quibus ea in vulgus proseminabant, celeberrimi cujusque Ecclesiæ doctoris, inimo & Apostolorum ipsorum nominibus inscribere ausos esse. Anphilochius Episcopus Iconii de suppositiis hujusmodi libris commentarium inscripserat, qui temporum injuria periit (*a*). Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis passim varia scripta Apocrypha Apostolorum, & eorum qui proxime iis successerunt, veluti Petri, Clementis, Barnabæ & aliorum nomina præferentia, notat. Eodem loco habentur a VII. Synodo Evangelium secundum Thomam, & Epistola Paulli ad Laodicenses. Quod si pessimi nebulones isti de nominibus Apostolorum sic luserunt, quo licentiæ non proruperunt in Patres? Patres ipsi ea de re vehementissime lamentantur, ut in Synodo V., Leontius in Bibliotecha Patrum tom. IV. p. 2. Patres in Synodo VI. act. 3., & ut cetera mittam, passim in comitiis Tridentinis. Queritur Hieronymus lib. II. Apologiæ contra Rufinum epistolam suo nomine scriptam, in qua plurima autor mentiatur. Queritur Gregorius M. epistolarum lib. x. epistola 69. Sermones aliquos suo nomine præscriptos ab Andrea Græco Monaco. Sed libeat exscribere Sixti Senensis viri doctissimi locum ex præfatione in Bibliot. in quo de Librariis sui temporis queritur. Librarii nihil, inquit, præter quæstum arte sua quærentes, novos quotidie librorum fœtus emittunt adulterinos, supposititios, Pseudepigraphos, & nothos, præpositis absque ullo judicio & pudore in frontispiciis operum, quo ipsa & carius & citius vendant falsis autorum inscriptionibus. Hoc sane artificio supposuerunt nobis inter multos spurios partus quæstiones in Genesim Philonis Judæi, quæstiones Justini philosophi, & Martyris ad gentes, quæstiones D. Athanasii ad Antiochum, Origenis paraphrasim in Job &c. Res infiniti esset operis suppositiones librorum enumerare, quas aut Librariorum *avaritia* vel *inscitia*; aut contendentium studia fecerunt. Sat est tirones præmonuisse. §. IV.

(a) *Laudatur in Concilio VII. Oecumenico act. III. tom. 3. veteris editionis.*

§. IV.

JAm quis dixerit quot mendacia veteribus adsuta sint, aut ab indoctis Librariis, qui ut scribebat Hieronymus, ***non quod inveniunt, sed quod intelligunt scribunt***, (*a*) aut a falsariis dolo malo ut haberent unde dogmata sua confirmarent, aut ab aliis caussis, de quibus in superiori capite dictum est? Id monendi sunt, qui aliorum autoritate uti amant, operosum esse plerumque genuina scripta a spuriis dignoscere: sed & postquam secreveris, multo adhuc difficilius ea discernere, quæ sunt ab autore ipso scripta, ab aliunde adsutis & infartis, aut quæ vel tempus delevit, vel addidit. At id necessarium scitu est, ut possis adsequi quæ vera, & genuina fuerit autorum ipsorum sententia.

§. V.

ERgo videamus quibus indiciis genuini libri a spuriis, integri a corruptis, aut mutilatis, vel interpolatis discerni possint. Plurimas ea in re Critici præscripserunt regulas. Prima est, ***suppositi libri indicium est, si in vetustis codicibus alii tribuatur autori, quum nulla ratio sit, cur ejus non habeatur, cujus nomen apud antiquos codices præfert: interpolati vero libri argumentum est, si in veteribus codicibus aliquid desit, quod reperitur in novis: mutilati tandem libri indicium est, si aliquid in vetustis codicibus sit, quod deest in novis***. Ejus canonis hæc est ratio, quod genuitatis & integritatis libri alicujus nullum sit aliud argumentum, præterquam judicium antiquitatis ab ipso Scriptoris ævo per aliquot secula sibi constans (*b*). Sane quemadmodum in vetustis historiis perpendendis antiquos historicos & coævos, reique gnaros, recentioribus præferimus; ita dum de genuinitate, & integritate libri disputatur, ubi nulla est alia ratio, quæ nos valeat remorari, merito antiquos recentibus codicibus anteponimus.

§. VI.

(a) *Hieron. Epist. XXVIII. ad Lucin.*
(b) *Consule Huetium sub initium Dem. Evang.*

§. VI.

SEcunda regula est: *Si quæ a veteribus ex libro aliquo olim prolata sunt, ea nunc in libro eadem inscriptione insignito desiderantur, aut alius est, aut mutilus: si vero aliter legantur, suspectus sit oportet: si omnia inveniantur eadem, genuinus est liber & integer, nisi alia subsint dubitandi rationes.*

§. VII.

TErtia regula: *scripta, quorum nulla mentio in veteribus catalogis, quæque memorata non sunt ab ullo Scriptore proxime sequentium seculorum, ut plurimum, aut ficta sunt judicanda, aut suspecta habenda, nisi alia sit ratio in contrarium.* Sed hæc regula fallit in Phedro, & Curtio in Latinis Scriptoribus: quocirca caute est adhibenda: nititur enim *argumento negativo*, ut vocant, cujus non semper eadem est vis, ut in sequente libro explicitum erit.

§. VIII.

QUarta regula: *quæ diserte sunt rejecta, aut in dubium revocata ab antiquioribus, ea admitti nequeunt ut genuina propter autoritatem recentiorum, nisi rationes gravissimæ nos commoveant.* Scilicet iis qui propiores fuerunt ætatis scriptorum notiores esse debuerunt eorum genuini fœtus, quam iis qui serius nati sunt: nam quo serius nascimur, eo tenuior rerum præteritarum notitia ad nos pervenit.

§. IX.

QUinta regula: *liber in quo dogmata leguntur iis contraria, quæ scriptor, cujus nomen præfert, constanter defendit, præsertim si dogmata videantur esse alicujus momenti, aut spurius est, aut interpolatus.* Sed & hæc regula magna cum cautione adhibenda est: potuit enim autor doctior factus, alia scribere, nec interim priorum recordari, quod omnibus qui plura scribunt passim contingit. Potuit esse paullo scepticismo addictior, adeoque in diversis locis diversa tueri dogmata, quod præter alios, Platonem, & Ciceronem egisse apud veteres, apud recentiores Petrum Bælium, scimus.

§. X.

Regula sexta: *Liber in quo memorantur aut personæ autore, cui tribuitur recentiores, aut nomina recentiora, aut recentiora facta, vel spurius est, vel interpolatus.* Sed quoniam fieri potuit ut adnotationes e margine in textum irrepserint, magno cum judicio hac regula utendum est. Nimirum fingamus Grammaticum, dum libros Ciceronis *de Oratore* legit, ad codicis marginem Quintiliani aut nomen, aut dicta quædam adnotare, quæ deinde imperitus Librarius tamquam omissa textui adsuat; non idcirco statim censoria virga e germanis Tullii libris isti de Oratore abstrahendi sunt, licet sint illi casu quodam interpolati.

§. XI.

Regula septima: *Liber indoctus aut imperitia refertus, non potest ulla ex parte, aut saltem totus viro docto tribui, nec liber fabulis scatens viro non inepto affigi, quamvis in vetustis codicibus ejus nomen præferat.* Hoc argumento commentarios Servii in Virgilium, & Donati in Terentium viri eruditi interpolatos putant, quod multa frigida, futilia, & viris illis indigna contineant. Eodem argumento quum alios libros, tum potissimum *Sermones ad fratres in eremo* Augustino abjudicant: nam quis ferat virum doctum inter ceteras fabulas narrare, se, quum esset Episcopus Hypponensis, Æthiopiam petiisse, ibique unoculos Centauros, & alia id genus portentosa oculis suis vidisse?

§. XII.

Regula octava; *Liber in quo tractantur, vel respiciuntur controversiæ natæ post tempora Scriptoris cui tribuitur, aut in quo deprehenditur Scriptoris recentioris imitatio, aut spurius est, aut interpolatus.* Hoc argumento Critic. negant Symbolum Athanasianum esse B. Athanasii: quippe in quo, præter cetera, Nestorianam & Eutychianam hæreses post Athanasium ortas, aperte autor spectat.

§. XIII.

Regula nona: *Si stylus sit diversus a noto aut Scriptoris cui tribuitur, aut seculi in quo ille vixit, spurius est. Si vero idem sit stylus cum stylo alterius Scriptoris, ejus potius censeri debet, si nihil aliud obstet.*

§. XIV.

Regula decima: *Vocabula sequioris ævi indicant Scriptorem recentiorem, vel libri interpolationem: in translatione vero si nihil sit, quod sapiat linguam, qua scripsisse constat autorem, cui tribuitur, translatio non est.* Plurimis exemplis regulas istas confirmat idem Clericus in art. Crit.

CAP. VIII.

De Arte Hermeneutica.

§. I.

Canones autoritatem spectantes, quos in superioribus capitibus tradidimus, inutiles futuri sunt, nisi doceamus, qua ratione autorum libri interpretandi sint. Eam ob rem comparata est ars *hermeneutica*, id est ars aliorum verba rite intelligendi. Sed hæc ars paucis constat canonibus. Ii partim externa spectant, partim interna. Ad primam classem pertinent sequentes.

§. II.

I. *Qui librum aliquem est interpretaturus, originalem linguam, in qua est scriptus, ita callere debet, ut non magis calleat aprugnum callum.*

Ejus regulæ ratio est, quod versiones nec sunt ullæ perfectæ, id est quæ autoris mentem plene exhibeant, nec fieri ullo modo possunt perfectæ, quemadmodum plurimis demonstrat vir doctus Riccardus Simonius in hist. Crit. V. T. Nam I. linguæ sibi ad amussim non respondent: II. linguarum idiotismi, nativi colores, veneres, emphases, ver-

verti in alienam nequeunt: III. qui libros vertunt vocabula ut plurimum accipiunt aut ex relatione ad objecta, aut ex relatione ad proprias notiones, quod æque interpretandi legibus adversatur, ut in secundo libro monuimus.

§. III.

II. *Curandum est, ut autorum, quos interpretamur, codices habeamus quam emendatissimos.*

Ejus ratio est quod interpolati codices, mutilati, depravati, aut prohibent quominus autoris mentem adsequamur, aut caussa esse possunt, cur sententias non suas illi tribuamus.

§. IV.

III. Necesse est ut Scriptoris ætatem, patriam, mores, professionem, religionem sciamus: ex his enim facillime ejus mentem penetramus. Nempe Scriptores passim spectant in scriptis suis opiniones, aut mores ætatis, vel patriæ suæ: passim ideas suas incrustant colore professionis, aut religionis suæ. Ex moribus plerumque suis aut opinionibus aliena metiuntur.

§. V.

IV. Discendæ sunt antiquitates, & mores gentis ex qua Scriptor ille est: difficile enim est ut Scriptor opinionum, aut morum gentis suæ colore scripta sua non inficiat. Quocirca deridiculi ii mihi videntur qui Hebraicarum, Græcarum, Latinarum antiquitatum ignari ad libros Hebræorum, Græcorum, aut Latinorum interpretandos aggrediuntur, sola Grammatica, & Lexicis contenti, in quo misere hallucinantur ipsi, decipiunt alios.

§. VI.

V. Præterea spectandus est finis Scriptoris: nam alia ratione interpretandus est Philosophus, alia Orator, alia Poeta, quandoquidem non unus omnium est scribendi finis. Oratores, & poetæ aut delectant, aut popularia sectantur, plerunque contra quod sibi persuaserunt:

runt: quocirca *verum Poeticum*, & *verum Oratorium* quum popularia sint vera, idest popularia præjudicia, minus sunt quandoque *vera philosophica*. At Philosophi finis una est veritas. Quamobrem nisi constat Poeticum in morem ludere voluisse Philosophum, severius interpretandus est. Hæc eadem regula tenenda est in legendis primorum Christianæ religionis Theologorum libris. Nempe Patres illi non eodem modo loquebantur in Homiliis ad populum, in quibus quædam aut subticebant, aut obscure explicabant, ne in corruptas & profanas Gentilismi aures abirent; & in libris dogmaticis, aut in Epistolis familiaribus ad viros eruditos datis, quod Hieronimus ad Pammachium diserte observat.

§. VII.

ATque hæ sunt præcipuæ regulæ interpretandi, earum, quæ externa spectant. Veniamus nunc ad ea, quæ cuique libro sunt interna. Ad hæc quod spectat, prima regula est, *verba cum naturali sensu accipito, nisi certa subsit ratio a sensu literali recedendi: naturalis porro verborum sensus is esto, quem primum verba nacta sunt & cui translatus opponitur*. Ex hac regula iterum admonemur, ut linguarum quibus Scriptores usi sunt, peritiam nobis comparemus, singulorumque linguarum vocabulorum proprietatem studiose investigemus: alioquin naturalem verborum sensum nulla ope adsequi speremus. Rationes autem quæ nos cogunt a sensu proprio discedere, plurimæ esse possunt, sed duæ illæ potissimum, quum alioquin Scriptor aut nullum referret sensum, aut eum referret, qui instituto suo repugnat: adde aut quum eum referret, qui manifesto absurdus est, quique viro non prorsus inepto tribui nequit.

§. VIII.

ALtera regula est, *loci obscuri per alios clariores interpretentur*. Ut hæc regula rite observetur, duo primum sunt curanda. I. paucis comprehendendum est totum autoris systema, & in tabulis synopticis distribuendum,

dum, ut uno quasi oculo perspici possit. II. Lexicon proprium ejus libri conficiendum est. Ita facillime sententiæ cum sententiis, verba cum verbis conferentur. Sed hac de re alias dictum est.

§. IX.

Tertia regula PROPOSITIONUM: *subjectu & prædicata diligenter investigantor, & accurate examinantor*: quippe enim ex notionibus subjectorum notiones prædicatorum intelliguntur, & vicissim. Vocabulum *ruab ex. g. Spiritus* in libris Hebreis novem aut decem habet notiones diversas, quæ nunquam intelliguntur, nisi attributa diligenter fuerint pervestigata. Vocabulum θεὸς apud Græcos & *Deum supremum*, & Dæmonas, & Heroes, & res utiles, aut in genere suo præstantes significat: ex attributis ergo ejus eruenda notio Eg. retulit Clemens Alex. in strom. Apud Ægyptios ventris crepitus θεοὺς haberi, qui interpretatur Deos, quum potius sanitati utiles interpretari debebat, ne lapide silice stultiores Ægyptios fuisse dicere cogamur. Pauca sunt in omnibus linguis vocabula, quæ unam simplicemque habent notionem. Ergo eorum notiones ex attributis sunt pervestigandæ. Hæc regula longe est utilissima.

§. X.

Quarta regula: *nisi rite legamus, fieri vix* potest ut recte interpretemur. Rite autem legemus. I. Si eos primum legamus libros, qui facem aliis præferunt. II. Si librum sine interjectis moris, sed continenter legamus: qui enim interrupte legunt, nec memoria tenent, quæ legerunt, nec inter se conferre possunt: ex quo fit, ut quæ legunt, non intelligant. III. Si tantum legerimus, quantum ferre memoria poterit nostra: opprimit enim animi vires aut multa, aut multijuga lectio. IV. Si quæ legimus ruminaverimus: ita enim & memoria corroboratur, & res cum rebus, verba cum verbis facilius conferentur. V. Si virorum perspicacium & eruditorum

adnotationes, aut commentarios consuluerimus: plurima enim sunt ad quæ non facile advertunt homines animum, nisi ab aliis fuerint excitati.

§. XI.

QUærit aliquis, quandonam locus aliquis censendus sit obscurus, & quid quum est obscurus faciendum interpreti. Respondeo primum, nullum ullius libri locum censendum esse obscurum, quod ejus sententia idiotæ, aut rei, de qua agit, imperito, non satis pateat: alioquin nihil unquam clare scriptum fuerit. Deinde nec judicio tantum nostro de obscuritate libri judicandum, si plurimis aliis viris doctis censeatur clarus. Liber ergo, aut libri locus aliquis obscurus censendus est, quum. I. Viri doctiores, & rei, de qua agit, periti, obscurum habent. Aut. II. quum, etsi id diserte non fatentur, opera ipsa fatentur, quum nimirum in ejus interpretatione in diversa abeunt.

§. XII.

QUod si constat obscurum esse librum, aut libri locum, tum his regulis utatur interpres. I. Omnes possibiles notiones, quas verbis autor dare potuit, rimetur. II. Si gravissimis rationibus constet ex omnibus possibilibus notionibus, v. g. A. B. C. D. E. Solam A. dedisse verbis Autorem, ceteræ rejicientur: vel si gravissimis notionus B. C. D. E. rejiciantur, A notio erit verborum. III. Si gravissimæ hujusmodi rationes desint, probabiles investingentur: Sed interpretatio habeatur probabilis, non certa. IV. Eam eligat notionem, quæ fini & doctrinæ autoris magis est consetanea. V. Quum omnes sunt æque probabiles, nihil certo definiatur, sed deseratur locus, tanquam qui minime sit intelligibilis.

AR-

ARTIS LOGICOCRITICÆ

LIBER V.

De usu ratiocinii, & de methodo.



X omnibus Logicæ præceptis, quæ postremo hoc Elementorum nostrorum libro continentur, omnium sunt utilissima, omniumque maxime scitu necessaria: agendum est enim de mentis capacitate dimetienda, & augenda, atque de vi ratiocinii: tum canones tradendi, quibus ratiocinandi vis & formetur, & regatur, & quam maxime fieri longius potest, provehatur. Totius ergo *artis philosophandi* nervus esse debet hic liber. Quocirca in hoc perdiscendo toti esse tirones occupati debent, & tamdiu in eo se exercere, quoad eos, quantum proficiant, non pœnitebit. Quamquam haud scio an cito pœniteat. Nam quum in hoc potissimum libro coagmentando atque ornando curas omnes destinassem, id quod vix pertimescebam, gravissimo pectoris dolore laborare occœpi: ita omnis non scriptio modo, sed lectio quoque severe vetita. Hinc quæ omnium maxime pertractate facta esse debuerunt, paulo sunt negligentius edita, ita nempe ut auditoribus dictare consueveram.

CAP. I.

De dimetienda & augenda Capacitate mentis.

§. I.

MEntem nostram res extra se positas sola *idearum* ope percipere, in compertis habemus: non enim aut *res ipsæ* mentem subire, aut mens *res* invisere potest. Tota erga mentis nostræ cognitio *numero*, & *varietate idearum* unice continetur, nec ideis nostris latius patere potest. Judicia ergo nostra,

opiniones, conjecturæ *primario* non res extra mentem positas, sed ideas spectant, seu, si ita loqui licet, ad *mundum intelligibilem* pertinent non ad *realem*. At quia in ea sumus *naturali* opinione, ideas nostras, saltem *adventitias*, *mundum realem* referre; inde nascitur hæc in nobis confidentia, ut quæcumque judicavimus, aut conclusimus de *ideis*; de rebus ipsis conclusa & judicata habeamus: in quo errare longe possumus, ut alibi est dictum. Sed de his paulo post commodius.

§. II.

NUnc illud explicandum, quid in hoc idearum campo excolendo efficit mens. Egit ea de re accurate Lockius & copiose (*a*). Nos in pauca ejus doctrinam conferemus. Tota mentis occupatio circa ideas in hoc est posita, *ut idearum aut convenientiam, aut repugnantiam vestiget*, & *intueatur*. Si duarum aut plurium idearum *convenientiam*, vel *repugnantiam* clare & distincte intuetur, tum hæc cognitio *scientia* vocatur; at si cæcutit, hæret, tentat, nec cernit; tum aut *dubia* est, aut *opinatur*; aut, si eam *convenientiam*, vel *repugnantiam* ex alterius autoritate sibi persuadet, quamquam ipsa nihil videt, *credit*. Putat autem laudatus Autor operationes mentis circa *convenientiam*, aut *disconvenientiam* in his quatuor consistere. I. In perspicienda idearum *identitate*, & *distinctione*. II. *Relatione*. III. *Coexistentia*, aut *necessaria connexione*. IV. *Existentia reali*.

§. III.

QUod spectat ad primum, dum ideam aliquam percipio, id primum mihi vel invitus conscius sum, *ideam illam esse id quod est*, *nihil aliud*, *duasque aut tres*, *quas intueor*, *ideas*, *esse duas potius*, *aut tres*, *quam unam*. Percipio ideam *trianguli*, statim sum conscius, *trianguli ideam esse*, & *non posse aliud esse*, &, *distinctam* esse ab idea *quadrati circuli*, *Coni*, *Cilindri*, saltem nisi ideæ, quas percipio, tam sint confusæ, ut distinguere nulla ope valeam. Hinc nascuntur duo illa, *Quidquid est, est*: & *impossibile est idem simul esse & non esse*.

§. IV.

(*a*) *Lib.* IV. *cap.* I. *& seqq.*

§. IV.

DEinde hanc habet mens nostra facultatem, ut duarum idearum *relationem* perspicere possit: Nempe conveniant inter se, nec ne, & quousque: Similes ne sint, an diversæ, & quatenus: altera ex altera pendeat, & quam ob rem: quæ quamque sequatur, quæ antecedat. Atque hoc proprie est, quod mentem nostram facit *rationalem*. Nisi enim hanc idearum relationem intueri possemus, nec *judicare* ullo modo, nec ratiocinari possemus: unicam haberemus *perceptionem* simplicem.

§. V.

PRæterea percipit intellectus noster idearum quandam *coexistentiam*, & connexionem, quasi in unum coëuntium subjectum. Ita concipimus ideas *extensionis*, *soliditatis*, *divisibilitatis*, *figuræ*, *mobilitatis* in unam quasi rem coire, efficereque id, quod nos *corpus* vocamus. Sane non aliud sunt in mente nostra *res corporeæ*, nisi simplicium quarumdam idearum *coexistentia* & *copulatio*. Res ipsas incorporeas eumdem in modum percimus. Deus enim nobis est connexio quædam & coexistentia idearum mentis *intelligentissimæ*, *æternæ*, *potentissimæ*, *optimæ*. Ex perceptione hujus coexsistentiæ idearum nascuntur ideæ substantiarum, idest *eorum subjectorum* in quibus *coexsistere* idearum objecta putamus. Quum autem hujusmodi subjecta ut plurimum sint *ipse coexsistentes ideæ*; fit ex hac cogitandi ratione, ut *subjecta*, seu *substantiæ imaginariæ* evadant *reales*, & de iis, tanquam de *existentibus* magna animorum consensione disputetur.

§. VI.

TAndem percipit mens nostra *existentiam realem rei alicujus*, quam exhibet idea. Exhibet idea *extensionem*: cogitamus de *extensione aliqua exsistente*. Percipit *soliditatem*: cogitamus de exsistente soliditate: cetera eumdem in modum. Sed de hac *realitate* paulo post.

Atqui hoc agit intellectus in *mundo idearum*: earum scili-

ſcilicet aut *identitatem*, vel *diverſitatem*, aut *relationes*; aut *coexſiſtentiam*: aut *objectorum exſiſtentiam* realem percipit. Hinc naſcitur tota hominis *Scientia*, & *Sapientia*: quæ, ut patet, poſita eſt in *Memoria* idearum; & *facilitate* ideas, earumque *convenientiam*, aut *repugnantiam* percipiendi. Quotuplex hæc ſic ſcientia, alibi eſt explicatum. Naſcitur hinc etiam multiplex animi *ſtatus* circa *veritates*, de quo eodem in loco diſſeruimus. Illud ſupereſt, ut ex his mentis magnitudinem dimetiri, & augere diſcamus, in quo laborare debet philoſophia. Quanquam *philoſophia* tota quanta quanta eſt, nihil eſt aliud, quam continuatum ſtudium mentis capacitatem, & perſpicacitatem augendi, ſcientiæque omnes ſymbolam hanc in rem ſuam conferunt. Sed faciendum eſt peculiariter.

§. VII.

ITaque ex his, quæ dicta ſunt, mentis capacitas & magnitudo, ut ut minus fortaſſis exacte, dimetiri poteſt. Ea ex quatuor pendet. I. Memoria, ſeu idearum numero. II. Judicii facilitate & ſoliditate. III. Ratiocinii extenſione, facilitate, velocitate, claritate. IV. Realitate cognitionum. Quo hæc majora & perfectiora fuerint, major erit & perfectior mens. Quæ mentes hæc habebunt æqualia, erunt magnitudine æquales: quæ varia, inæquales, aut in ſimplici unius ratione, aut in compoſita plurium, ſi hoc in loco Geometrarum loquendi formalis uti licet.

§. VIII.

ET memoria quidem primum eſt omnis humanæ eruditionis veluti fulcrum: vulgatum enim eſt & verum, *tantum ſcimus quantum memoria tenemus*. Sed eſt duplex memoria, quemadmodum Ciceroni obſervatum eſt, *rerum* nempe & *verborum*: hæc ſervilis eſt, dominaturque potiſſimum in iis, qui perſpicacitate parum valent; a corporis enim temperie pendet: illa nobilior eſt, eorumque eſt propria, qui mentis acumine plurimum valent, animunque rebus magnis in-

intentum habent. Et quidem ad mentis præstantiam & magnitudinem quod adtinet, tanto est *rerum* memoria præ memoria *verborum* optabilior, quanto est corpore ipso Spiritus nobilior. Memoriam *naturæ esse dotem* vulgo dici solet, quod ita intelligendum est, ut a cerebri temperie plurimum pendeat. At quum memoria sit *habitus* animi simul & corporis, ut alibi demonstro (*a*); habitusque omnes fiant *excolendo*, ideſt exercitatione continuata; perspicuum, est, aut nullam esse artem efficiendæ memoriæ, aut hanc esse *solam* exercitionem, quod quotidianis experimentis comprobari posset, nisi esset supervacaneum. Quicumque ergo memoriam magnam efficere conantur, ii continua exercitatione eam excolant oportet. Posita est autem hujusmodi exercitatio in his, ut. I. Res, quas discimus, vividis sub initium ideis nobis exhibere conemur, quod fiet si attentione audiamus aut legamus, si ejus rei sciendæ desiderio summo flagremus, si cum iis ideis aliqua voluptas aut dolor in nobis excitetur, si corporeis imaginibus eas nobis exhibeamus (*b*). II. Ut quæ didicimus meditemur, revocemusque ad animum quam sæpius fieri potest. Huc pertinent decantati Pythagoræ versiculi.

Nec fessa in dulcem declines lumina somnum,
Quin ter cuncta prius repetiveris acta diei.

Huc illud Senecæ ad Lucilium, *quum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas*. III. Ut aut literis, aut aliis symbolis, cogitata, aut accepta, vel lecta, describamus, eaque subinde relegamus.

§. IX.

QUoniam experientia docuit, eos, qui in excolenda verborum memoria sunt nimii, infelices ut plurimum esse in memoria rerum, ideſt longiorem cogitationum seriem percipere non posse: e contrario destitui plerumque verborum memoria, qui nobilissima hac & præstantissima memoria rerum coti sunt; eam ob rem in hac

(a) *In Poster. Metap. parte.*

(b) *Vide Malebranch. l.* VI. *de inq. ver. cap.* 2.3.& 4. *ubi copiose admodum & docte de excitanda attentione disserit.*

hac excolenda majores curas impendat Philosophus. Majores dixi, non omnes; nam & memoria aliqua verborum philosopho necessaria est, non ut loquatur, nam *bene prævisam rem verba non invita sequuntur*, sed ut discat, aut doceat: plurimæ enim quæstiones a vocabulorum studio pendent, uti ex superiore libro patet. Quod si quis talis est, ut nequeat & linguarum simul, & rerum Scientiam ferre, is, si alterutra deserenda est, linguarum deserat, quam rerum, studia: nam in his proprie mentis præstantia, & magnitudo posita est; & cui ea, quæ a memoria est magnitudo, longe est inferior: *memoria*, inquit apposite Malebranchius (lib. VI. de inq. verit., cap. I.) *opinionum, judiciorumque aliorum non tam scientia est, quam historia: vera Scientia est quæ eam menti humanæ præstare perfectionem potest, cujus est illa capax, tanta scilicet esse mentis perspicacitate & facilitate præditum, ut possis de rebus omnibus, quæ captum humanum non omnino excedunt, perspecte judicare.*

§. X.

Accedit præstantia illa, quæ ex judicandi facilitate, claritate, & soliditate nascitur, quæ ut est in paucis, ita nequit non haberi excellentissima animi humani dos. *Facilitatem* judicandi dico eam, qua idearum relationes acute & facile perspicimus, qualis exg. est quam habent exercitatissimi Mathematici, ut proportiones figurarum aut numerorum cernant, & qua in axiomatum scientia quilibet gaudet. Sed nequit haberi facilitas sine judiciorum *claritate*: qui enim sunt mente subobscuri, paulo sunt etiam in judicando impeditiores. *Soliditatem* appello *selectum universalium axiomatum*, non quorumvis, sed eorum, ex quibus scientia non umbratilis & curiosa, sed necessaria & utilis progignitur, qualia sunt axiomata quibus hominum vita, ejusque tranquillitas continetur: axiomata, ex quibus scientia Dei, vel universi manat. Ex hoc autem loco ita discerni potest mentis alicujus magnitudo, ut ea dicatur major cujus judicia

dicia fuerint & *plura*, & *solidiora*, & *facilius facta*, & *clarius*. Ex quo discerni quoque potest, quid intersit inter mentem *solidam*, *facilem, claram*; & *superficiariam*, *ineptam*, *morosam*, *dubiis* implicitam. Acquiruntur autem hæ judicii dotes. I. Lectione optimorum librorum, auctorum nempe emunctæ naris. II. Exercitatione rerum difficillimarum & utilium: III. Perpetuis disputationibus cum iis, qui mente & judicio valent. Scholastici ob tertium hoc postulatum mentis acquisiverunt facilitatem, & perspicacitatem: sed quum exercerentur in rebus aut ignotis, aut ineptis, nullius emolumenti iis facilitas illa fuit: idcirco ineptissima evasit sophistice. Geometræ idem exercitium in rebus claris, & utilibus exercuerunt, acquisiveruntque eandem mentis facilitatem, sed claram, & solidam. Idem usuvenit iis, qui eos legunt libros, qui mente & judicio valuerunt, quorum librorum numerus hoc nostro ævo ingens est.

§. XI.

JAm vero efficitur mens magna & quidem vera magnitudine, *ratiocinii extensione, facilitate, velocitate et claritate*. Est ratiocinium, ut alias dictum, perceptio congruentiæ, aut repugnantiæ seriei alicujus judiciorum longiusculæ. Ratiocinium commendant. 1. *extensio*. 2. *facilitas* & *velocitas*. 3. & *claritas*. Ergo eæ mentes, quæ longiorem judiciorum seriem intueri valent immota attentione, majores habendæ sunt. Majores quoque sunt mentes, quæ facilius, velocius, & clarius ratiocinantur. Facilitas exercitatione acquiritur disciplinarum intellectualium, quales mathematicæ potissimum. Claritas pendet a vivacitate memoriæ: adeoque aut naturalis est, aut exercitio acquisita. De vi ratiocinii, atque ratiocinii regendi atque promovendi regulis, inferius.

§. XII.

TAndem mens est magna *cognitionum realitate*. Cartesiani duas in ideis *realitates* distinguere solent, *formalem*, & *objectivam*, ita enim vocant. *Formalis realitas*

litas vocatur *ipsum esse ideæ representativum*, ideſt quo idea eſt idea, nempe ſimulacrum, imago: Objectiva realitas eſt objectum ipſum prout in idea exhibetur. Paucis, *realitas formalis* eſt ipſa idea, quatenus forma rei cujuspiam eſt, *objectiva* id quod idea repreſentat, prout in ipſa exhibetur idea. Hæc duo longe diſtant, prout idearum genera diſtant: nam in ideis *phantaſticis & abſtractis objectiva*, & *formalis* realitates una eademque *ſunt*, veluti in ideis *Circuli*, *Quadrati*, *Centauri*, *Chimæræ*, ſimilibus: in his tanta eſt *objectiva realitas*, quanta *formalis*. Contra vero in ideis adventitiis, aut factis quidem, ſed quæ ad objecta externa referuntur, *realitas objectiva* ſunt ipſa externa objecta, prout illa exhibent ideæ.

§. XIII.

SI quis infinitum haberet idearum numerum, ſed eæ eſſent omnes phantaſticæ, atque confictæ, atque nulla alia exhiberent objecta præter ipſas ideas: tantæ quoque eſſet mentis agilitatis, & dexteritatis, ut valeret eas inter ſe ſe conferre, in iiſque velociſſime, & longiſſime ratiocinari, eſſet is quidem mente præſtantiſſimus: at non minus inter philoſophos cenſendus eſſet, quam inter hiſtoricos cenſeretur, qui Romanenſes omnes hiſtorias mente haberet comprehenſas, narraretque diſertiſſime, mundi interim hujus rerum ignorantiſſimus. Nempe inter homines non is magnitudine mentis celebratur, qui ingenio plurimum & phantaſia poteſt, quique ingentem idearum phantaſticarum numerum ſibi confixit; ſed qui realium idearum, res ſcilicet extra nos exiſtentes referentium, magnum ſibi penu inſtruxit: qui quatenus hujuſmodi ideæ objectis ſuis congruunt, aut ab iis diſtant, didicit: qui ex relatione idearum iſtarum, rerum ipſarum novit relationes: qui, dum de his ratiocinatur ideis, ſcit ſe, quod de ideis concluſit, de rebus ipſis concluſiſſe: uno verbo, qui non tam in intelligibili idearum mundo, quam in ipſo verſatur mundo rerum. Hæc dicitur realitas cognitionum. In ea laborare philoſophus debet. Ex quo erit major, *majorem* efficiet mentem, & *ſolidiorem*.

Ab

Abipſa infantia aſſuefaciendi ſumus huic cognitionum realitati amandæ, atque veſtigandæ. Quocirca ut qui veram amat humanarum rerum hiſtoriam confictas Romanenſium fabulas non ſectatur, ita qui veram optat ſcientiam non phantaſtica ſyſtemata, & hypotheſes fictas, ſed reales perſequitur cognitiones.

§. XIV.

DIcet aliquis, non ergo utetur philoſophus ad mentis magnitudinem *ſcientiis abſtractis*, veluti Geometria, Arithmetica, Algebra, Ontologia? At id & graviſſimorum hominum conſiliis, & experientiæ adverſatur. Malebranchius lib. VI. de inq. cap. V. totus eſt in Geometriæ, Arithmeticæ, & Algebræ ſtudiis commendandis; inde capacitatem mentis augeri mirum in modum poſſe putat. *Mens*, inquit, *majorem acquirere realitatem nequit: tota ergo eius magnitudo in hoc eſt poſita, ut facillime, & dextere operationes ſuas componat, atque ordinet. At id demum eſt, quod egregie Arithmetica, & Algebra præſtant. Tales enim hujuſmodi ſunt ſcientiæ, ut idearum numerum & contrahant in breviorem, & ordinem efficiant ſimpliciorem, ita ut implicitæ ipſæ, atque obſcuræ quæſtiones, intelligi aut uno poſſint intuitu, aut haud longiori*. Sed his non refragor: agilitatem & perſpicaciam mentis diſciplinæ iſtæ, ratiocinandique dexteritatem augent: compendium quoque ratiocinandi in pleriſque rebus efficiunt. Ceterum, ut dixi, niſi cum his, quæ artem potius philoſophandi conficiunt, quam ipſam ſapientiam, realitas ipſa cognitionum conjungatur, erit mens ingenio magis & acumine, quam ſoliditate præſtans.

§. XV.

JAm ea moleſtior eſt objectio: quum tota ſcientia noſtra ambitu idearum noſtrarum contineatur; ignoremus vero utrum ideæ noſtræ rebus ipſis conformes ſint; perſpicuum eſt, ignorare nos, utrum ulla ſit cognitionibus noſtris realitas, atque ſoliditas. Ei objectioni tum demum ſatis fuerit factum, quum criterium repertum fuerit, quo agnoſcere certo poſſimus, quæ ideæ noſtræ

ſint

ſint ipſis rebus conformes. Huic difficultati hunc in modum reſpondet Lockius (*a*): eſſe ſcilicet duo idearum genera, quas eſſe rebus conformes ſimus certi. *Primæ* inquit, *ſunt ipſæ ſimplices ideæ. Nam quandoquidem mens noſtra ſimplices ideas confingere ſibi nequit, eæ profecto ab iis naſcuntur rebus, quæ, quacumque tandem via, in mentem noſtram agunt, ideſt a rebus ipſis, quarum ſunt ideæ iſtæ imagines*. Sed valde vereor ut hæc omnibus plana ſint: nam quum externæ res non agant in animum noſtrum, niſi *ſenſuum via*, quod ſtatuit Lokius, demonſtrandum ei erit, ideas hujuſmodi nullo modo in ſenſibus immutari, quod operoſum eſſe video: quippe apertum eſt, impreſſiones in variis corporibus factas ab eadem cauſſa eſſe poſſe diverſas ob ſubjectorum diverſitatem: quod argumento eſt, nunquam cauſas imprimentes perfecte exhiberi.

§. XVI.

A*lterius generis ideæ*, pergit ille, *ſunt*, *quas mens ſibi conficit*, *non tanquam ullarum rerum exiſtentium*, ſed tanquam poſſibilium, *quæque ſui ipſarum ſunt objecta*, ideſt in quibus *realitas objectiva & formalis* unum ſunt idemque. Eæ ſemper veræ ſunt & reales. Hujuſmodi ſunt ideæ ſcientiarum mathematicarum. Sed quærimus a Lokio, ut velit eſſe quæſtionis, quam propoſuit, paulo tenacior, ſibique magis conſentaneus. Quærebatur enim ea ſoliditas, quæ poſita eſt in congruentia idearum & rerum ipſarum exiſtentium, non idearum & confictarum rerum, de qua non erat valde laborandum. At enim, applicare poſſumus rebus ipſis mathematica. Utique ſi uti theoremata mathematica a certis & evidentibus *datis* deducimus, res etiam ipſas naturæ a certis & evidentibus datis liceret deducere. Clarum eſt, omnibus mathematicis theorematis ſua præſtabiliri data: ea ſeu poſtulantur, ſeu ex poſtulatis derivantur: ex his datis theoremata hujuſmodi demonſtrantur. Si igitur mathematicum theorema phyſicis rebus aptare velis, *data* illa evidentia habeas oportet, non quidem ex ullis poſtulatis, ne

(a) *Lib. IV. §. 3. & ſeqq.*

ne physicas scientias in Romaneses convertas historias, sed ex talibus ideis, quas rebus ipsis esse conformes certus sis. Sed id quæritur, unde certus esse possis *has datorum ideas* rebus ipsis esse conformes. Non enim efficere illas conformes debes, sed reperire. Quum autem dubia sint illa data, videant mathematici, ne dum theoremata abstracta rebus naturæ aptant tam confidenter, naturæ res non quales sunt explicent, sed ut tales sint, quales volunt, efficere conentur. Res agenda est nec amore, & sine odio, quorum causas longe habeant philosophi oportet.

§. XVII.

SI hæc sunt vera, dicet fortasse aliquis, in scientiis Physicis Sceptici triumphabunt. Respondeo, rerum corporearum existentiam, talemque earum usum, quali vita indiget humana Scepticorum Sophismatibus non esse obnoxia: ea vero satis esse nobis possunt. At in plerisque naturalium phænomenorum caussis explicandis, in exacte corporum viribus dimetiendis, non evaserunt Physico-mathematici Scepticismum: etsi hoc effecerunt, ut minus a veritate, quam veteres, distemus, ususque rerum habeamus faciliores: progressi longo sunt: acu rem nondum tetigerunt.

C A P. II.

De cognitionis humanæ extensione.

§. I.

PAucis componam, quæ hac de re Lokius 24. paginis in 4. (a) docte differit. Ex iis quæ superius dicta sunt perspicuum est, totam cognitionem nostram, idest *judicia*, *ratiocinationes*, *conjecturas*, *systemata scientifica*, & si quid est aliud, quod ad cognitionem nostram pertinet, unico idearum nostrarum ambitu contineri: ad ea enim, quorum nullas habemus notiones, nullo modo cognitio nostra pertingit. Prima

R ergo

(a) *Lib, IV. cap. III.*

ergo ratio cognitionem nostram supputandi, est idearum numerus: quo hic minor est, eo arctioribus limitibus cognitio nostra continetur: latioribus, ubi fuerit major. Quumq; ideæ in nobis proveniant a *sensatione*, & *conjectura*; sequitur in iis, qui magis cum natura rerum, aut hominum versati sunt, quique magis mentem in contemplationibus exercuerunt, cognitionis extensionem esse majorem.

§. II.

SEd quamquam cognitio nostra nequit latius patere idearum ambitu, potest tamen esse arctior. Nascuntur enim cognitiones nostræ ex *idearum* comparatione: ea comparatio fit aut *intuitione*, aut *ratiocinio*. Jam *intuitio* nequit in omnibus ideis locum habere: unde fit, ut *cognitiones intuitivæ* sint admodum paucæ, ut in superiori libro adnotatum est. Ergo *cognitionis intuitivæ extensio* ad numerum idearum relata, valde est exigua. Brevitatem cognitionis intuitivæ supplet quocumque tandem modo *ratiocinium*. Ratiocinii ope inter se conferimus eas ideas, quas simplici intuitione conferre non possumus. Fit autem id ope *mediæ* alicujus *ideæ*; ut paulo post dicetur. At ne hoc quidem modo omnes idearum relationes percipere possumus: nam deficiunt plerumq; *mediæ ideæ*, quarum ope id efficiamus. Ejus rei hoc exemplum profert LoKius. Ideam habemus *corporis*, & *cogitationis*; sed ob medii defectum nunquam fortassis sola ratione intelligemus, utrum duo hæc ita se mutuo destruant, ut nequeant unam eandemque efficere substantiam. Addit & hoc, intelligere nos clare, quid sit *quadratum esse circulo æquale*: sed fortasse nunquam invenietur medium, quo demonstretur, datum quadratum esse dato circulo æquale. Sane curvas in se redeuntes esse *inrectificabiles* demonstrat Nevvtonus.

§. III.

QUibus ex rebus patet *extensionem cognitionis* nostræ esse ut *totam capacitatem mentis*, idest non ut numerum tantum idearum, sed in *ratione*, ut inquiunt, *composita* numeri idearum, vivacitatis memoriæ, & facilita-

tis,

tis, dexteritatis, atq; perſpicacitatis intellectus, ſeu in ratione compoſita *memoriæ*, *reminiſcentiæ*, *perſpicitatis*. Ex his enim magnitudo mentis exſiſtit, ut ſuperius oſtendimus. Et numerus quidem idearum, ideſt memoria, prima eſt velut materies cognitionis: felix reminiſcentia, ideſt memoriæ vivacitas, promptitudinem cognitionis facit. Perſpicacitas forma eſt indigeſtæ materiæ. Prima eſt *ſtupida* ſine ſecunda & tertia: Secunda *adeſſe* nequit ubi prima deficit. At tertia ſine prima *inutilis* eſt, ſine ſecunda *miſera*.

§. IV.

JAm *affirmationes*, aut *negationes*, quæ ideas noſtras afficiunt, & quibus cognitio noſtra continetur, ad quatuor ſumma genera referri poſſunt ſecundum Lokium. I. *Identitatem*. II. *Coexſiſtentiam*. III. *Relationem*. IV. *Exſiſtentiam realem*, de quibus & ſuperiori capite quædam ſunt dicta. Paucis oſtendendum quatenus cognitiones noſtræ, ad quatuor hæc ſumma genera quod ſpectat, pertingant. Cognitionis extenſio, quod ſpectat ad primum genus, tam late patet, quam idearum numerus, ſeu campus: nam ſimplici quilibet intuitione perſpicit, quamlibet ideam eſſe id quod eſt, nihil aliud: tum quamlibet eſſe a qualibet diſtinctam.

§. V.

QUod adtinet ad *coexiſtentiam*, quamquam in hoc genere plurimæ cognitiones noſtræ verſantur, tamen non admodum eæ latius patent. I. paucæ ſunt ideæ ſimplices, quæ neceſſariam inter ſe habent connexionem: quocirca cognitio *neceſſariæ coexiſtentiæ* idearum arctiſſima eſt. Aſſociationes idearum arbitrariæ, aut levibus indiciis factæ, eſſe quidem poſſunt infinitæ pene numero, ſed nec omnes poſſibiles perſpicere poſſumus, nec in id laborat, qui judicio aliquo eſt præditus: quippe qui aſſociationes eas quærit, quæ *realitatem* præſeferunt, non quæ poeticæ ſunt. III. *Senſu* quidem *ſubſtantiarum corporearum* aſſociationes fiunt: ſed quantilla eſt ſenſuum provincia? ea longe eſt rerum extenſione & numero inferior.

ferior. IV. Associationes sensu factæ principia esse possunt, quorum ope alias ideas detegamus, & associemus: sed nimis caute ea in re procedendum: nam primo esse possunt ideæ hunc in modum partæ *falsæ*, idest *minus objectis conformes*: deinde hujusmodi idearum associationes possunt esse tales, ut nulla eis respondeat *realitas*. Certe hunc in modum *spiritus animales*, *materia subtilis*, *materia striata* Cartesianorum invecta sunt. Eodem modo universi substantiæ aliæ multiplicatæ. Quocirca etsi non alia adest via aut alias ideas detegendi, aut alias idearum associationes, quam via idearum, quas habemus; patet tamen non admodum tutam esse eam viam, nec nos valde interius ea via in rerum naturam penetrare. Hinc fit, ut nedum *Spirituum*, qui longe absunt a captu humano, sed ne corporum quidem cognitionem aut satis amplam, aut certam habemus.

§. VI.

CApaciores sumus secundum Lokium cognoscendi *repugnantiam* idearum, quam *coexistentiam*. Quilibet enim dum duas simplices ideas intelligit, veluti A, & B, potior est perspicere, utrum altera alteri adversetur; quam an cum ea congruat. Sit A idea rotunditatis, B quadraturæ, nemo est tam stupidus, qui ipsa intuitione idearum A & B non intelligat, eas sibi adversari. Quamquam non æque facile est inspicere repugnantiam idearum compositarum. In eam rem medio utimur, quod *diversitatis* aut *repugnantiæ* dicemus, & de quo paullo post disseremus: quemadmodum ut detegamus coexsistentiam idearum compositarum, plerumque etiam simplicium, medio utimur, quod *identitatis* appellabimus. Censet præterea laudatus autor, longius progredi mentem nostram in perspicienda idearum repugnantia, quam identitate. Id extra controversiam est, esse hoc, ut dixi, quam illud, facilius, & expeditius.

§. VII.

COgnitio *relationum similitudinis*, aut *proportionis idearum*, atque idcirco *rerum* cum rebus, ut est maxima

xima humanæ ſapientiæ pars ,ita unice eſt homini neceſſaria, ut poſſit aut vivere beatus, aut ad beatitudinem pergere, quæ duo ſunt nobis a natura propoſita. Et quidem vivimus beati, *quum animus ſine perturbatione eſt, corpus ſine dolore*. Conſequimur beatitudinem, quum obſervaverimus *quæ a Deo ſunt mandata*. Prius conantur efficere diſciplinæ duæ *Ethica*, qua animus, *Medicina*, qua corpus curatur: alterum efficit *Theologia*, quæ propoſitas homini ad beatitudinem vias patefacit. Ethica continetur *cognitione relationis virtutum & tranquillitatis animi*: docet enim quouſque virtutum aliquarum exercitio pacate vivere poſſimus; Medicina *cognitione relationis remediorum & valetudinis*: Theologia cognitione relationis *Legum divinarum*, *& actionum noſtrarum liberarum*. Ergo cognitio relationum & maxima eſt ſapientiæ noſtræ pars, & unice neceſſaria. Quæritur quouſque in his cognitio noſtra aucta ſit, aut poſſit augeri. Et quidem quantum progreſſi ſimus in Medicina non audeo dicere. Id certum, longe ſeculum noſtrum vetuſta in hac ſcientia excedere, & ſi, ut cœpimus, pergamus, longiſſime hanc diſciplinam proceſſuram certum eſt. Quod ſpectat ad Moralem, quo nomine & Ethicam, & Theologiam practicam complector, ſerio & exacto *naturæ*, & revelationis ſtudio eo redacta eſt, ut ſi animo ab adfectibus depurgato judicare velimus, vix eſſe ullus poterit, qui tranquillitatis & beatitudinis media ignorare poſſit: nihil eſt defœcatius, nihil illis tritius. Scientia juris naturalis geometricos eſt a plurimis demonſtrata: Theologia moralis ad ſimplicia & plana Evangelii præcepta relata, atque a tricis caſuiſtarum extricata. Itaq; ſi eſſe beatum eſſet noſcere beatitudinis media, nemo eſſet miſer. Quocirca ex iis aperte patet, nulli rei tam eſſe mentem humanam adaptatam, quam iis idearum, rerumque relationibus cognoſcendis, quæ hominem beatum efficere poſſunt: quumque in aliis cæcutiat, hic clare intuetur. In quo ſumma ergo homines Dei benignitas, & providentia ſuſpicienda eſt.

§. VIII.

PErtinet ad hoc cognitionum nostrarum genus cognitio *τω dependere effectuum a suis causis*. Hæc cognitio in quibusdam rebus necessaria est homini, in aliis utilis, in plerisque curiosa. Et quidem in iis, ubi est necessaria, vix ulla est, nisi forte inter stupidos, ignorantia. Ego saltem nec esse hanc ignorantiam ullibi video, nec, quum Deus homini provideat, esse posse mihi persuasis. Ex quo illud deduco, earum causarum, quæ ignorantur, cognitionem minime esse homini necessariam. Utilem causarum plurimarum cognitionem deesse, frustra quoque pluries tentatam, hodieque tentari, non abnuo: sed si sua esse sorte contenti homines velint, possunt & tranquille, iis etiam ignoratis, vivere. Ergo in hac parte cognitio nostra, si verum, fateri velimus, admodum est exigua, quamquam & dilatetur quotidie, & spes sit fore, ut, nisi barbarie Europa iterum silvescit, longissime provehatur. Utinam vehementiora philosophos præmia adigant!

§. IX.

VEniamus ad postremum genus. Cognitio nostra quod ad *existentiam rerum realem* tribus nititur principiis, *conscientia*, *sensatione*, *ratiocinatione*. Conscientia existentiam nostri, sensatione existentiam eorum corporum, qui sensuum nostrorum organa commovent, ratiocinatione causas phœnomenorum activas cognoscimus. Ex primo fonte cognitio existentiæ nostri realis clara est & certa, sed hoc unico continetur objecto: nullam ergo habet extensionem. Sed ea sensatione paulo latius extenditur, licet præ universi immensitate, rerumque numero infinito, vix latum unguem. Paulo quoque longius progreditur via ratiocinii; ea enim causas plurimas rerum genitrices cognoscimus. Ad duo autem rerum summa genera referre possumus quæcumque existere *clare* cognoscimus, *corpora*, & *vires quasdam activas*: Primarum enim substantiarum ideas non habemus nisi confusas & obscuras.

§. X.

§. X.

Atque hæc demonſtrant quatenus cognitio noſtra extendatur. Demonſtrant præterea ignorantiam noſtram longe eſſe majorem, quam noſtra eſt cognitio. Cujus ignorantiæ tres affert idem autor cauſas. I. *Quod deficiant ideæ: quot enim exiſtere putandum eſt, quorum nullas nec habemus, nec habere poſſumus ideas?* II. *Quod plurimas ideas comparare nequeamus, aut mediorum defectu aut defectu perſpicacitatis.* III. *Quod in majore hominum parte deſit labor & attentio ad veritates detegendas neceſſaria. Sed quæ* ſunt hujus loci copioſe ſunt in primo libro explicata.

CAP. III.

De ratiocinii natura & generibus.

§. I.

Omnis cognitio noſtra, quemadmodum alias diximus, aut *ſimplici intuitione* acquiritur, aut *ratiocinatione*. *Simplici intuitione* intelliguntur *axiomata*: in his enim ſine ulla media idea percipitur extremorum relatio. At, uti ſuperiore capite obſervatum eſt, maxima idearum noſtrarum pars ſine *medio* conferri nequeunt: operatio mentis qua duæ ideæ inter ſe conferuntur ope *medii*, ratiocinatio appellatur. Ei ſemper principium aliquod aut evidens, aut certum præſtituitur. Ratiocinio ergo id quærimus, quod primo intuitu non videmus. Quæ autem quæruntur infinita eſſe poſſunt: ſed referri poſſunt ad capita quædam generica: ex iis capitibus ratiocinandi diverſa quoque genera naſcuntur. Præcipua capita earum rerum, quæ ratiocinio quæri ſolent, ſunt ſequentia. I. Quantitatum æqualitas. II. Inæqualitas. III. Proportio. IV. Entium identitas. V. Diſtinctio. VI. Similitudo. VII. Diſſimilitudo. VIII. Cauſæ. IX. Effecta. X. Exiſtentia realis. XI. Conformitas. Plura alia ſtatui poſſent. Sed ea poſſunt ad hæc undecim referri. In his omnibus perquirendis *ratiocinii natura* erit eadem, id-

est eadem concatenata idearum series, ita ut nullibi interrumpatur, quousq; inventum sit, quod quærebatur, aut quousq; progredi inquirendo mens potest: sed non iisdem principiis reguntur ratiocinia omnia: inde factum est, ut varia distinxerimus genera.

§. II.

PRincipia autem horum ratiocinandi generum sunt sequentia.

I. Quantitatum (idest omnium rerum, quæ magnitudinem habent) æqualitas quæritur hoc principio. *Quæ eidem sunt æqualia inter se sunt æqualia*. Signum æqualitatis est =

II. Inæqualitas hoc. *Quod uno æqualium est majus aut minus, est etiam maius aut minus altero*. Signum quantitatis majoris est , minoris <

III. Proportionis principia plurima sunt: ea Geometræ docent. Euclides in v. & vi. Elementorum Geometriæ, aliique in Elementis suis. Itaque ratiocinationes de quantitatum proportione, Geometria, quin & Algebra (quæ plurimum facit in his, ratiocinandi facilitatem & compendium) ignoratis, nullo modo succedunt. Quocirca non sunt tentandæ ab iis, qui in his scientiis non sunt versati. Loquor autem non de proportione extensionis tantum, verum etiam virium corporum, etiam mentium, Civitatum, Populorum, Exercituum, saltem quatenus calculi iniri possunt. Ut sciatur esse scientias istas & Societatibus regendis utiles. Hoc ergo in loco nihil præcipere possumus: nam paucis ea docere non possumus, plurimis non debemus.

IV. Identitatis principium esse solet. *Quæ eidem sunt eadem inter se sunt eadem*. Identitatis signum θ.

V. Distinctionis & diversitatis quæsitum diu est a Dialecticis principium, nec tamen ullum, quod sciam, clarum, certumque statutum, ne a VVolfio quidem in *Logica*, quo in loco ex instituto ea de re disputat. Sed hujusmodi ratiocinationes hoc niti principio. *Non potest idem constare ex iis quæ se mutuo destruunt*,

exem-

exemplis docebo. Jam sit distinctionis & diversitatis signum ≠.

VI. & VII. Similitudo, & dissimilitudo reguntur principiis identitatis, & distinctionis, ut facile est demonstrare.

VIII. Causæ perquiruntur ab effectis. Hujusmodi perquisitiones his nituntur principiis. I. *Nihil fit sine ratione sufficiente*, vel *ex nihilo nihil fit*. II. *Nemo dat, quod non habet, neque plusquam habet*, vel, *oportet ut in causa tantundem saltem sit perfectionis realis, quantum in effectu est*. III. *Si quotiescunque ponitur A existit B, quotiescunque aufertur A, aufertur B, erit A causa τε B.*

IX. Effecta per causas. Hæ inquisitiones his reguntur principiis. I. *Eædem causæ eosdem producunt effectus, similes producunt similes*. II. *Causæ necessariæ semper operantur secundum totas suas vires, non item liberæ.*

X. *Existentia* realis iis modis quæritur, de quibus passim dictum est: aut duobus superioribus.

XI. *Conformitas* vel simplici intuitione percipitur, vel hoc axiomate nititur, *Quæ eidem sunt conformia, inter se sunt conformia*; *difformitas* hoc *si A non est conforme B, B conforme C, A non est conforme C.*

Hæc per summa capita tetigimus: nam quicumque artem ratiocinandi rerum ipsarum scientia consequuti sunt, ii plurima alia ratiocinandi his in rebus media adesse intelligent, quæ in locos communes frustra Logicus referat: ipsa enim exercitatione & doctrina perdiscenda sunt. Interim exemplis paucis & brevibus hæc tironibus faciliora sunt efficienda.

§. III.

DUæ spectant æqualitatem, inæqualitatem, proportionem usu Geometriæ docentur. Nunc generatim. Conferendæ sint duæ quantitates A. C. æquales ne eæ sint an inæquales, ignoro: adhibeo mediam B, cui si ambæ æquales erunt, vi Principii æqualitatis, concludo esse inter se æquales, hoc modo.

$A = B$:

A = B:
C = B:
ergo A = C.

Quod si perquirendum sit ulterius utrum A, vel C, vel utrumque æquentur ipsi D, posita superiori demonstratione, aliud, aut alia media adhibebo, hoc modo.

A = B:
D = B:
ergo A = D.
Jam A = D: (ex sup.)
E = D:
ergo A = E,

vel adhibebimus unam seriem nullibi interruptam. Probandum sit A = H.

A = B,
B = C,
C = D,
D = E,
E = G,
G = H:
ergo A = H:

§. IV.

PRobanda porro sit inæqualitas majoriratis.

A > B C = B ergo A > C Jam C = D ergo A > D.	A < B C = B ergo A < B

Sic deinceps. Eodem modo concluditur, de inæqualitate minoritatis. Ex g.

§. V.

PRobanda sit identitas H & M.

H θ I: K θ I: ergo H θ K.	Diversitas hoc modo K θ I: H ñ I: ergo H ñ K.

Jam

Jam K θ L:		Jam K θ L:
ergo H θ L.		ergo H ft L.
Tum L θ M:		tum L θ M:
ergo H θ M.		ergo H ft M.

Eadem exempla, substitutis similitudinis signis, quibusvis, pro similitudine aut dissimilitudine demonstranda satis esse possunt.

§. VI.

IN causis ab effectis demonstrandis, ita procedemus.

X. fit: existit ergo causa (per 1. ax.

X. Porro fit posito Z, aufertur ablato Z:

Z ergo causa τῦ X (per 3.)

Quod si longior sit causarum series, servabitur idem ordo.

X. fit: est ergo ejus causa aliqua

Ponatur S, ponitur X; auferatur S, aufertur X: Ergo S causa τῦ X.

Jam S ponitur posito R, aufertur ablato R.

Ergo R causa τῦ S.

Tum R ponitur posito Z, aufertur, ablato Z.

Z. ergo causa τῦ R adeoque & τῶ S, & X.

§. VII.

DEmonstranda tandem sit conformitas actionis & legis.

Actio	D conformis Legi	R:
	C conformis ipsi	D:
ergo	C conformis	R.
	E Difformitas	
	D difformis	R:
	C conformis	D:
ergo	C difformis	R.

Ita porro, si ulterius investigatione procedendum sit. Patet autem ex hoc exemplo syllogismos omnes negantes vi hujus principii concludere, *nequit idem constare ex iis, quæ se mutuo destruunt*; nam si C sit conformis ipsi R, quum sit etiam conformis τῦ D (*ex minori*) erit & D conformis τῦ R, cui (per majorem prop.) dif-

difformis est: ergo idem D ex iis constabit quæ se mutuo destruunt.

§. VIII.

Quærit hic aliquis quanta sit certitudo, vel evidentia hujusmodi conclusionum: respondeo, si nihil peccatum sit in ipsa serie, idest in *forma*, ut loquebantur Scholastici, quanta erit evidentia vel certitudo judiciorum, ex quibus consequentia deducuntur. Si evidens est, aut certum D esse conformem R, & C esse conformem D, hæc conclusio, C conformis R, aut evidens est, aut certa: contra si priora illa judicia, & ut vocant, *præmissæ*, fuerint probabilia, erunt consequentia probabilia, & quidem in ratione antecedentium. Si antecedentia dubia, dubia consequentia: si falsa, etiam falsa.

§. IX.

Jam est omnis ratiocinatio aut *directa*, aut *apogogica*, seu *indirecta*. Directe ratiocinamur, quum ex proposito principio, continuata atque connexa idearum serie veritatem detegimus, quemadmodum in exemplis superioribus. *Indirecta* autem ratiocinatio fit, quum demonstramus, nisi id sit, quod contendimus, absurdum aliquod inde nasciturum. Quæ ratiocinandi ratio validissima est: nam quum ex *vero* sequi nequeat *falsum*; conficitur falsam esse propositionem eam, quæ nostræ statutæ thesi opponitur, quandoquidem ex ea sequitur falsum: ex quo porro nostræ veritas deducitur: quoniam falso nonnisi verum opponitur. Hujusmodi ratiocinationum apogogicarum plurima habes apud Euclidem exempla, veluti in prop. VI. VII. VIII. XIX. XXV. & alibi libri primi. Passim quoque in aliis libris. Quoniam autem hæ demonstrationes minus mentem illuminant, quemadmodum perspecte observat auctor *Artis cogitandi*; tum est ad eas confugiendum, quum directe deficiunt. Sed tum rite concludunt, quum inter ajentem, & negantem propositionem medium non est. Ex. g. Statuatur $A = B$, & $X < B$, dico X esse $< A$. Demonstruo indirecte: Si negas, erit X aut $=$, aut $>$ A: nequit

quit esse =, alioquin esset = ipsi B; nec potest esse majus, alioquin majus esset ipso B; ergo erit minus. Conclusio valida est idcirco, quod nihil aliud est reliquum, quod dicatur. At si esse potest reliquum, tum ratiocinatio merum erit sophisma. Ex. g. *Nulla est in brutis anima.*

D. apogogice, Si est, substantia est: est porro omnis substantia aut spiritus, aut corpus: ea ergo erit aut spiritus, aut corpus. Non est spiritus: ratione enim non esset destituta: nec corpus: corpus enim nequit animæ operationes edere: non ergo est. Argumentum plurimis obnoxium exceptionibus, in primis huic, quod ignoremus, utrum sint aliæ substantiæ mediæ inter *corpus*, & *spiritum*. Ex quo perspicuum est, ratiocinationes apogogicas esse justas, si enumerationem contineant exactam, & si partes reliquæ apertæ sint falsæ, quod ipso Geometriæ usu luculentius discent tirones.

§. X.

HUc quoque pertinent ratiocinationes Analyticorum, quum propositionem assumunt ut veram, deindæ quæ inde sequuntur, perpendunt: hæc si omnia vera fuerint, & statutæ propositioni consentanea, ea censetur vera, contra, si fuerint falsa, & absurda. Ex. g. ponamus *Mentem humanam esse immortalem*: si nihil inde sequetur, quod non sit consentaneum & verum, tum iterum deducunt velut demonstratum, *esse immortalem*: contra, si minime consentanea, aut falsa sequentur. Posterior hic concludendi modus ad demonstrationes apogogicas spectat: prior, ubi etiam exacte supputatio facta fuerit, nihil demonstrat aliud, nisi possibile id quidem esse, quod asseritur, ita vero se habere non ostendit. Qui demonstravit, ex posita immortalitate animi omnia sequi consentanea, nullum absurdum, is probavit, *possibile esse animam esse immortalem*. At ut evincat id ita se habere aliis utatur argumentis oportet. Ex quo patet hypotheses confingendas quidem, ut veritas, omnibus tentatis viis, facilius & tutius inveniri possit. At si ne hac quidem ratione reperta sit veritas, potius

est

est rem omnem in medio relinquere, quam incertas hypotheses pro veritate aliis propinare. Interim hoc argumentorum genere, quod hypotheticum est, usi plurimum sunt Cartesius & Cartesiani omnes, qui non inutiliter legentur a Philosopho, ut & huic perquisitionis generi assuescat.

CAP. IV.

De methodo generatim, tum de iis methodi ratiocinandi regulis, quæ utrique methodo Compositionis scilicet, & Resolutionis sunt communes.

§. I.

SI veritates omnes aut *simplici intuitione*, aut *simplici ratiocinio*, idest *uno simplici syllogismo* percipi possent, inutilia essent quæcumque de *ratiocinandi* methodo præcipiunt Logici. Nunc quando humanæ mentis brevitate fit, ut paucissimæ veritates sine longa judiciorum serie intelligantur, ratiocinandi regulas negligere philosophus non debet: non quod iis ratiocinandi aut *capacitatem*, aut *facilitatem* acquirere quisquam possit, quæ sola *exercitatione* comparantur; sed quod *rectius*, atque *ordinatius*, si quidem eas servat, ratiocinetur. Possunt hæ quidem regulæ sola lectione eorum librorum, in quibus exacte observantur, disci, quinimmo non alia ratione melius ac plenius discuntur (*a*). Sed juvabit profecto ad eam lectionem præparato animo, atque paullo attentiore accedere.

§. II.

DUas ratiocinandi methodos tradidere philosophi (*b*) unam qua veritates deteguntur, quæ *analytica*, idest *resolutionis*: alteram, qua detectæ alios docentur, quæ *synthetica*, idest compositionis appellatur. Sane

(a) *Vide Malebranch. de inquir. ver. part. 3. lib. 2. cap. 2.*
(b) *Vide Autor. Art. cog. part. 4. cap. 3.*

Sane quanquam eadem via, quæ sunt veritates inventæ, plenius docerentur, eaque doceri vellet Verulamius; brevius tamen atque rectius altera methodo doceri possunt. Amplior quidem illa est, animumque varia imbuit cognitione, efficitque capaciorem: hæc arctior est, limatior, fortiusque convincit & brevius. Sed quoniam est illa *feracior*, hæc sterilior, operæ pretium scientiarum doctores, me saltem auctore, efficerent, atque auditores dimitterent capaciores, si postquam syntheticos veritatem tradiderunt, iidem docerent qua tandem ratione sit inventa: ita enim aliis inveniendis veritatibus aptiores evaderent tirones. Atque hæc est ratio, cur summopere exopto ut philosophi tirones Cartesii opera legant: in nullis enim aliis libris methodus analytica exactius servatur.

§. II.

Analytice minuta quæque consectatur, singularia examinat, possibiles omnes fingit casus, paulatimque a conferta plurium rerum quasi silva, ad rem ipsam devenit ambagibus omnibus extricatam. At synthetice a generalibus principiis brevissimo; eoque arctissimo ordine ad propositionem demonstrandam accedit. Ex. g. quæritur utrum A manet ab X. Analysis proxima scrutatur; possibiles omnes confingit hypotheses, & caussas, colligiturque singula, comparat, conficitque aliquid, ita ut paulatim ostendat A manare a B, B a C, C ab H, H a P, P ab R, R ab X; unde concludit A esse ab X. Synthesis minuto illo & longo possibilium omnium examine resecato, demonstrat brevi circulo A prodire ab X, quia XR, RP, PH, HC, CB, BA producat. Duas ergo has methodo duplici Viatori alicujus viæ comparare soleo. Viator recti tramitis inscius, ut eo perveniat, quo contendit, per plura alia oppida, montes, planities, fluvios divagatur, eamque ob rem, dum locum unum petit, plurima tentando discit: idem vero quum redit, doctus tandem experimento viam, rectam persequitur, eamque unice insistit: hæc brevior est & simplicior, illa jucundior, forte etiam utilior.

§. IV.

PRiusquam autem utriusque methodi proprias leges explicemus, libeat quæ utrique sunt communia expedire. Primum utrique methodo commune est, *ut a notioribus & facilioribus incipiamus, atque hinc pedetentim ad difficilia & ignota progrediamur*. Hujus regulæ ea est ratio, quod seu perquiras veritatem, seu doceas, præstabiliendum est aliquod firmum, atque solidum fundamentum, idest aliquod aut *evidens*, aut saltem *certum*, quo investigatio regatur, aut a quo incipiat institutio. Itaque nec sine hac face progredi ulterius potest, qui philosophatur, & qui docet, auditorum mentibus tenebras offundit, tantum abest, ut eas illustret.

§. V.

POstquam autem aut *axiomata*, aut *observata*, aut *experimenta*, aut *demonstrata*, aut quacunque via *certa* præstabilivit ex prima illa regula, seu philosophus, seu doctor, tum servanda est hæc altera. *In singulis gradibus seriei judiciorum, quibus continetur ratiocinatio, curato, ut eadem servetur evidentia, aut certitudo, quæ primum præstabilita est, ut nempe non tantum secunda judicia necessariam habeant cum primis connexionem, cum tertiis secunda, quarta cum tertiis, & sic porro, sed ut eam connexionem tu clare persentiscas, clareque atque distincte veritatem eorum judiciorum, quæ ex primis conrivantur, intelligas*. Hac enim ratione mens illustratur & eruditur. Enim vero indigesta illa farrago idearum, & judiciorum, quam plerique suspiciunt, mentis est potius ingeniosæ, & memoriæ fecundæ; quam sapientis atque intelligentis. Itaque videre est hoc vitium, quod *pedantisme* vocant Galli, in eorum potissimum libris regnare, qui mente parum, memoria non mediocriter valent: Ii frustula quædam satis docta producunt, sed ea ita consarcinant, ut, nec pes, nec caput longo insit sermoni. Horationo sunt Fabro similes;

Æmilium circa ludum faber imus & ungues
Exprimet, & molles imitabitur aere capillos:

In-

Infelix operis summa . . . . (a)
Profectò *scire* non est tam *meminisse*, quam quæ memineris & intelligere ipsum, & ita efferre, ut alii intelligant.

§. VI.

UT autem rite secunda hæc regula observetur adhibenda omnino est tertia, *seu perquiras, seu doceas, verborum tantum adhibeto, quantum nitide ideis concipiendis, aut explicandis, satis est: stilo utitor simplici, facili, naturali: caveto ut a verborum copia, ita a stylo declamatorio, & tragico.* Nam verborum nimia copia impeditiores nos efficit ad quærendum, intellectu vero difficiliores. Stilus vero declamatorius & tragicus auditores commovet, non docet: at philosophus, nisi oratorem agat, docere vult, non movere: assensionem argumentorum pondere gignere, non affectuum perturbatione extorquere. Quocirca, si curat eos illuminare, quos instituit,

Projicit ampullas & sesquipedalia verba.

§. VII.

QUarta regula est, *Rem, de qua agitur, accurate dividito, membra singula diligenter examinato, aut expedito.* Qui enim rem, de qua agitur in omnia sua membra accurate dividit, deinde minutatim *quærit*, aut *explicat*, quid cuique conveniat, aut adversetur, & facilius progreditur in veritate investiganda, perpendenda, discernenda; & clarius alios instituit. Regulas autem exactarum divisionum has præcipiunt Logici. I. ut primum res dividatur in omnia sua membra generalia, ita ut nullum membrum, quod scitu sit necessarium, omittatur, nullum redundet superfluum. II. ut generalia hæc membra, si opus fuerit, in alia subdividantur, usque ad simplicissima: III. Ut unum membrorum non contineatur sub alio. Ex quibus illud perspicuum est,

S exa-

(a) *De Arte poet.*

exactas divisiones docentis potius esse, quam quærentis: illi enim, non huic, ita rei, de qua agitur, natura patere potest, ut possit ejus membra noscere atque partiri.

§. VIII.

Quinta regula, *Singula vocabula, quæ aut obscuritatem aliquam, aut ambiguitatem præseferunt, definito, idest eorum certas statuito notiones, cumque iis semper notionibus adhibeto*. Nisi enim id fiat, aut ignorabis quid quæras, aut ignorabunt alii quid doceas. Hæc regula maximopere commendanda est in controversiis, quas cum aliis a nobis dissentientibus habemus. Audacter dico, si hanc regulam tot viri alioquin docti accurate in controversiarum libris servassent, & mole minores, & numero pauciores scripti essent; & controversiæ quæ pluribus in rebus genus dividunt humanum, aut exterminatæ essent, aut in exiguum relatæ numerum. Nulli autem tam sæpe, tamque turpissime hanc violant legem, quam disputantes, seu incuria, seu disputationis æstu præpediti: at nulli magis ejus memores esse deberent. Inde fit ut videas passim homines integros dies furiose disputare, interim egregie ignorare qua de re disputetur.

Jam definitiones paucissimis verbis & clarissimis sunt faciendæ: nulla in iis adhibenda sunt vocabula, quæ & ipsa non sint aut definita, aut clara, & certa: nec adhibenda sunt plura, quam quæ satis sunt: alioquin non illustrabunt, sed obscurabunt. Itaque quis temperet a risu Peripateticorum hujusmodi audiens definitiones? Quid lumen? *actus diaphani, quà diaphani*. Quid motus? *actus entis in potentia prout in potentia?* Egregie in hac parte versati sunt Stoici. Proferam eorum exempla quædam ex Tullio (*a*). Quid ægritudo? *Opinio recens mali præsentis*. Quid lætitia? *Opinio recens boni præsentis*. Quid metus? *Opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur*. Misericordia, *ægritudo ex miseria alterius injuria laborantis*. Angor, *ægritudo premens*: Luctus, *ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo*.

Æru-

Ærumna, *ægritudo laboriosa*. Solicitudo, *ægritudo cum cogitatione &c.*

Quum sint duo definitionum genera, *verborum*, & *rerum*, loquor in hac regula de verborum tantum definitione. Nam rerum definitiones, quæ fiunt quum paucis & claris verbis rei alicujus aut omnes, aut præcipuas proprietates explicamus, esse quidem illæ possunt *docentis*, non vero inquirentis, nisi antequam inquirat rem teneat totam. Sed nec docens adæquatas rerum definitiones unquam dabit, quum nemo est, qui rerum naturas perfecte noverit. Ex Logicorum autem doctrina definitiones rerum debent esse. I. Universales, idest convenire debent toti rei definitæ, quanta quanta est: eam ob rem hæc Platonica motus definitio, *mensura motus secundum prius & posterius*, mala est: nam tempus est & mensura quiescientium. II. Debent esse propriæ, idest solius rei definitæ. Ergo si quis hominem definiat, *rem cogitantem*, latior ea est definito: sunt enim & aliæ res cogitantes, quæ homines non sunt.

C A P. V.

De methodi analyticæ regulis.

§. I.

QUi veritatem aliquam est investigaturus, aut quæstionem expediturus; quod methodo fit analytica, is præter eas regulas, quas & in superiori capite, & passim in aliis horum Elementorum libris præcepimus, has etiam addet (*a*). I. *Propositæ quæstionis nodum quam clarissimis verbis explicato*. Siquidem nisi statuatur aperte quid quærendum sit, aut demonstrandum, in incerto omnis vagabitur oratio. Potest autem quæstio aut a nobis, aut ab aliis proponi. Si nobis

(a) *Lege de his Maleb. lib. VI. de ing. verit. Art. Cogitandi part. IV. Clericum part. 3. Logicæ, 's Gravetzandium Introduct. ad Phil. cap. 33. Soria de* Emendanda mente &c.

bis ipsi quæstionem proposuerimus, omnium primum claram ejus notionem ut in animo efformemus oportet. Si vero ab aliis fuerit quæstio proposita, eos rogabimus, ut clare ac distincte mentem explicent suam. Nisi id factum fuerit, ulterius progredi nec debemus, nec possumus.

§. II.

Quod si priori legi probe fecerimus satis, tum secunda monebit lex. *Perpende utrum ita sis animo præparatus, ut ei veritati inveniendæ, aut solvendæ quæstioni aptus sis, ne aut inutiliter divageris, aut inepta & ridicula effutias*. Ex. g. quæstio in medio jure Romano versetur, & tu ne fando quidem Romana jura audivisti, aut corticem vix degustasti, ei non es aptus solvendæ. Agitur de re Theologica, Mechanica, Astronomica, quas res ignoras, nonne perridiculus eris, qui nullis prius earum disciplinarum notionibus, animo subacto in scenam prodis Theologum, Mechanicum, Astronomum acturus? Huc Horatianum illud spectat,

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri....

§. III.

Tum sequitur tertia regula, *Expendito perspecte, simplex ne quæstio sit, an composita: Quod si fuerit composita, eam accurate in omnes simplices dividito, minutatim examinato, & in eas primum inquirito, quæ lucem aliis præferre possint*. Ex. g. Quæsitum est, quinam usus, & quænam constructio partium oculi. Duæ proponuntur quæstiones: earum primum examinabitur secunda: nisi enim sciatur quænam sint oculi partes, explicari non potest, quinam sint earumdem usus. Eodem modo si quæstionis partes fuerint tales, ut una expedita, nullo negotio aliæ solvantur, ab illa initium faciendum est. Quæritur, utrum sit Deus, & providen-

tia,

tia, initium faciam a prima: quandoquidem demonstrata providentia, sequitur esse Deum; omnium conditorem; atque conservatorem.

§. IV.

PORRO his factis, monet quarta regula, *Diligentissime perquirito quæcunque cum proposita quæstione connexionem aliquam habent: comparato quæcumque ei lumen aliquod afferre possunt: possibiles quaslibet confingito hypotheses.* Ita enim undequaque præsidia accersis, quibus enodandæ quæstioni; atque veritati detegendæ aptior evadas. Hanc autem regulam servare nequeunt, qui secundam non servant: difficile enim est posse te hæc undequaque præsidia arcessere, nisi in ea scientia, ad quam quæstio pertinet, sis versatus. Demonstrandum sit, Christianam religionem esse veram: quot tibi ex intimiore Metaphysica; Ethica; Physica, Historia Gentili; & Judaica; Critica; sunt necessaria? Ea tamen colligere non poteris; nisi in disciplinis illis fuerit contritus.

§. V.

JAM sequitur quinta regula. *Quæstionem corrige; & exacte & quam simplicissime exprime; idest resecato ob ea, quæ collecta quidem per superiorem regulam; intelligis nullum tibi afferre præsidium*: Nam hæc oneri potius sunt, & impedimento: remorantur, perturbant, obscurant.

§. VI.

DEinceps præcipit sexta. *Principia solida; quibus veritatem invenias; aut quæstionem expedias; perquirito, & velut faces perpetuo ante oculos habeto.* Hæc est regula quæ facile quidem præcipitur, difficillime vero adhibetur. Locos communes, unde hæc principia sumi possint, quidam dederunt. Sed inutiles ii sunt, nisi quis secundæ regulæ præsidio ad hujusmodi examina

accedat. Qui enim principia quærit, quibus quæstionem aliquam Mathematicam, aut Physicam solvere possit, nisi fuerit in Mathematicis, aut Physicis disciplinis exercitus, ex communibus illis locis nullum speret auxilium.

§. VII.

ET leges quidem istæ sunt genericæ. Sequuntur aliæ minus generales. Quarum prior est, *pervestigato utrum quæstionis solutio pendeat ex ratiocinio, an ex experimentis, an ex autoritate, eamque definire conator eorum principiorum ope, quæ aut ratiocinium, aut experimenta, aut autoritas suppeditant: caveto ne tria hæc misceas*. Passim videas philosophos adversus hanc legem peccare. Ita quidam, quæ theoretica sunt, & puræ intelligentiæ, ex aliorum autoritate repetunt: alii quæ sola sunt definienda autoritate, ratione intelligere conantur: plures ubi experimentis opus, ad abstractas confugiunt ratiocinationes. Ex. g. demonstrandum est, utrum in brutis sit anima sui generis, nec ne: ea theoretica quæstio est, in qua appellare ad populum, aut ad idiotarum autoritatem desipere est. At si agatur quæstio, utrum Apostoli fecerint miracula, historica est, in qua ab autoritate pendere unice debemus: appellare autem, ut imperite faciunt Deistæ, ad rationis sophismata, est furere. Agitur, de resurrectione corporum, ea quæstio divina revelatione definitur: ea standum. Ergo ea in re captiones Atheorum audiendæ non sunt. Quod si fuerit quæstio physica, experimenta præibunt, ratiocinium experimentis inhærebit. Ita porro.

§. VIII.

SI quæstio pendeat ab autoritate, id deinde scrutator, *fallibilis ne illa sit autoritas, an infallibilis*. Si fuerit infallibilis, hos teneto canones. I. *Quæ hæc autoritas clare docet, ita ut nulli exceptioni sint obnoxia, velut axiomata teneto: iis inquisitionem regito*. II. *Quæ ex his axiomatibus clare sequuntur, habeto tanquam proposi-*

tiones demonstratas, & ita certas, ut priora illa. III. *Quæ aut illis axiomatibus, aut his consequentibus clare adversantur, falsa reputato.* IV. *Quæ autoritas illa obscure docet in neutram partem affirmato, sed memento τὸ ἐπέχειν aut sine ira & odio* probabiliter *disputato, idest quempiam in suo sensu abbundare sinito,*

§. IX.

QUod si fallibilis sit autoritas, hos sectaberis canones. I. *Ex eo quod quidam potuit decipi, non statim sequitur fuisse deceptum: ergo hoc tantum argumento autoritatem rejicere, quod sit fallibilis, desipere est: alia adhibenda sunt argumenta, ut ab ea discedas.*

II. *Quæ omnes, aut plures narrant historici oculati, nemine refragante, certa sunt habenda: si unus aut alius adversus plures testificentur, historicorum conferendæ dotes: secundum eas judicandum.*

III. *Quæ facta unus aut alter ocularis narrat historicus, nemine contra scribente, proxima sunt certitudini, si historici isti veras habuerint historicorum dotes.*

IV. *Qui aliquid tacet, is id non negat. Ergo quæ historici narrant coevi in dubium vocanda non sunt ex hoc tantum, quod alius, aut alii etiam coevi taceant (ex can. II. & III.) Qui enim tacet, aut oscitantiæ, aut ad summum malitiæ accusari potest.*

Sed inquiunt, historiæ leges exigebant ut non taceret? Quid ergo: adversus has peccavit historicus; at ea negasse, quæ tacet, dici nequit. Quod si non negavit, perstat historicorum ajentium fides. Mirum est de hoc argumento quod negativum vocant, potuisse tanta contentione inter doctos disputari.

V. Quæ facta testes non coevi, neque oculares magna consensione narrant, in dubium sunt vocanda, si nemo coævorum, & ocularium historicorum memoret, quum memorandi opportunitas erat.

Nam unde recentes isti ea hauserunt? Nihil aliud proferri potest, nisi popularis fama, quæ valde quam mendax est. Atque hoc, non antecedens

illud, *argumentum* est *negativum*, quod maximi semper ponderis viris doctis est habitum.

VI. *Si nulli extent coævi, & oculares historici, posteriorum autoritas probabilis habeatur, quum nulla sunt repugnantia argumenta.*

VII. *Quæ historia claris rationibus repugnat inter falsa reputator.*

VIII. *Historia ne vocetur rationi contraria, quod moribus, & opinionibus præsentibus adversetur: opiniones enim atque mores mutantur.*

IX. *Non idcirco historia habeatur falsa, quod id narrat, cujus nos caussas non intelligimus.* Hujus canonis rationem alibi dedimus.

§. X.

QUæ veritates usu ratiocinii perquiruntur, iis perquiruntur canonibus, de quibus & in Superioribus & passim alibi dictum est. Pauca addam.

I. *Quæ in idea clare & distincte contineri cernis, de ea affirmato: negato vero, quæ ei adversari clare & distincte percipis. Nam claritas & evidentia veritatis character statutus est.*

II. *Quæ inter se se conveniant, an sibi adversentur, non evidenter percipis, inter obscura & incerta habeto: adeoque aut medias alias ideas quærito, quibus possis comparare, aut ne unquam affirmato.*

III. *Si diu perquisiveris, nec veritatem repereris, ne pronunciato falsum, ex hoc tantum, quod non intelligis, nisi adeo sis perridiculus, ut mentem tuam veri & falsi mensuram putes.*

§. XI.

QUæstiones physicæ eæ sunt potissimum, quæ ab experimentis pendent. De experimentis autem capiendis, deque eorum usu superius dictum. Quum vero in his quæstionibus argumentum *ab analogia* desumptum passim adhiberi soleat, de eo pauca. Argumentum ab

ab *analogia* hoc nititur principio, *similium effectuum similes esse causas*. Id principium magna consensione a philosophis probatum est, & quidem sapientissime. Nam quum universi Creator, atque moderator sit Deus, natura scilicet intelligentissima, sapientissima, potentissima; inducere in animum non possumus, naturam superfluis luxuriari. Hinc veteres duo hæc alia ad nos demandarunt veriverbia, *Deus & natura nihil frustra moliuntur*, tum, *Deus quod efficere paucioribus potest, non facit pluribus*. Ergo his freti Philosophi, ubicunque aut eosdem, aut similes reperiunt effectus easdem esse causas, aut similes concludunt. Quod argumentum ut plurimum rectum est, & verum. Sed quum in cognoscenda effectuum similitudine decipi possimus, levesque similitudines, pro integris habere, magna cautione est hoc argumentum adhibendum. Patet autem id argumentandi genus longe atque late: & non physicas tantum res attingit, sed ceteras omnes, in primis morales, & politicas. Ex. g. ex similibus hominum actionibus concludere possumus, aut similes caussas, aut eventus similes. Ex similibus rerumpublicarum statibus, causas similes similesque eventus. Hoc certe principio tota prudentia Ethica, OEconomica, & Politica nititur: ita ut qui humanarum rerum probe callet historiam, possit de futuris humanis rebus quam facillime judicare.

§. XII.

POstquam his rationibus atque viis veritas perquisita est, si ita nobis esse felicibus licuit, aut certo, aut magna probabilitate aliquid statutum sit, tum omnia ea ad incudem revocare debemus, quæ alii unquam contra moliti sunt, aut quæ dicere quisquam posset. Nam tum plena erit persuasio, quum & adversariorum omnium argumenta confutaverimus: nonnihil enim illa ponderis habent, ut a persuasione nos dimoveant. Faciendum autem id est sine odio atque ira, quarum causas longe habere Philosophus, idest veri amator, debet. Et quidem refellenda argumenta adversariorum sunt non

ex ulla anticipata rei nostræ opinione, sed serena mente, & candida. Perquirendum in quo ea deficiant, quid sublesta illa & falsa faciat. Principia ne falsa sunt? an error ullus est in serie judiciorum admissus? Quod si & propositionem nostram *evidenter* demonstravimus, & interim argumento cuidam adversariorum nequeamus respondere, non idcirco dimovendi a veritate sumus: brevitate enim mentis nostræ fit, ut videre nequeamus, in quo objectio peccet. Nec interea respondendum, ut facere imprudentes solent, argumentum esse ineptum, sophisma, indignum cui respondeatur, quum ei respondere nesciunt; id enim magis etiam imbecillitatem & perturbationem nostram ostendit: fatendum potius est ingenue, quod est. Iis tantum argumentis risu respondere possumus, quæ inepta revera sunt & ridicula.

CAP. VI.

De methodo synthetica.

§. I.

ADhibemus methodum *syntheticam* quum alios ea docere volumus, *quæ scimus*. Ergo I. *Curato, ut ea doceas, quæ tu, quoad potest perfectius, tenes*. Ridiculum enim est ea velle docere, quæ aut omnino ignoras, aut per summa capita didicisti, & *in Creta figulinam discere*, uti dici solet. Qui hanc violant legem, aut se perridiculos faciunt, aut alios turpissime decipiunt.

§. II.

II. A*Uditores eligito aptos*: has enim primas esse debere doctoris curas perspecte docet Aristoteles (*a*) Sane vero non omnia omnes ferre possunt, nec de omnibus est cum omnibus disserendum. Itaque Ægyptii, & hinc Græci, potissimum Pythagorici, secretiora quedam doctrinarum initiatos tantum docebant. Christus ser-

(a) *In primo ad Nicomach.*

ſervator noſter non omnia docuit Apoſtolos, quod quædam eſſent, quæ nondum ferre poſſent: ergo quædam diſtulit ad Pentecoſtem. Paulus quoque, *lac*, inquit, *vobis dedi*, *tanquam infantibus*. Beatus Baſilius (*a*) *ſcire*, inquit, *debemus*, *& quæ dicenda*, *& quæ tacenda ſunt*.

Multa etenim bene tecta latent, neſcitaque proſunt (*b*)
Inde *ſecreti* lex apud vetuſtos Chriſtianos.

§. III.

III. V*ocabula quibus utendum eſt*, *& quæ eſſe poſſunt ambigua*, *aut obſcura*, *definito*. Vide §. VIII. capitis IV. Itaque Plato, Ariſtoteles, Cicero ſtatum hoc atque indubium habuerunt, *omnem inſtitutionem*, *quæ de re quacumque ſuſcipitur*, *debere a definitione proficiſci*, *ut intelligatur quid ſit id de quo diſſeritur*. Plerique definitiones omnes alicujus diſciplinæ, aut ſaltem materiæ, quam Syntetice docent, ſub initium præponunt veluti Geometræ. Ad id minime eſt neceſſarium, poſſuntque recte iis in locis exhiberi, in quibus earum eſt uſus, quod Graveſandius in Phyſica, Vvolfius in operibus metaphyſicis fecerunt.

§. IV.

IV. S*tatutis definitionibus*, *ſequantur axiomata*, *ex quibus ratiocinia concludamus*. Sunt axiomata, ut alias eſt dictum, propoſitiones adeo evidenter veræ, ut earum veritas ſimplici pateat intuitione. In iis ſcientiis, in quibus autoritas ſuppeditat principia, axiomatum loco habentur quæcumque propoſitiones clare & diſtincte in Autoris verbis continentur, ex quibus ratiocinationes tam arcto nexu deduci poſſunt, quam ex axiomatibus Geometricis geometricæ demonſtrationes. Quandoque axiomatum loco habemus propoſitiones eas, quarum intellectus pendet quidem a ratiocinio, ſed notæ tamen ſunt iis, quibuſcum diſputamus. Sed & non raro propoſi-

(a) *Hom.* 29.
(b) *S. Proſper. in Carmine de ingratis.*

positiones demonstratas in aliis disciplinis pro axiomatis usurpamus. Aliquando etiam ea, quæ inter partes conveniunt, etsi minime fortassis evidentia, aut certa, axiomatum loco habemus. Plerumqne principiorum loco assumimus ea, quæ etsi falsa, ut vera habentur ab iis cum quibus disserimus. Ita veteres Christiani ex libris Mercurii Trismegisti, aut Sybillarum rite confutabant Gentilismum, quamquam libri illi spurii sint: quandoquidem ut genuini & divini habebantur Gentilium multiudini,

§. V.

V. *Nihil demonstrato, nisi ex iis, quæ præstabilita sunt, definitionibus, axiomatibus postulatis, hypothesibus, & probatis propositionibus.*

VI. *Nullas adhibeto propositiones, quæ aut ad rem, de qua agitur, non pertinent, aut quæ primis istis demonstrandis, aut illustrandis non inserviunt.*

VII. *Propositiones, quæ aliis demonstrandis serviunt, illis præmittito.*

VIII. *Si per superiorem regulam liceat, simplices propositiones præeant compositas, genericæ vero minus genericas.*

Pluresaliæ regulæ addi possent; sed iis qui versantur in scientiis mathematicis & hæ quoque superfluæ sunt: ex illis enim disciplinis melius ac plenius, quam ex ullis Logicorum regulis hujusmodi differendi methodus discitur: iis vero, qui in scientiis mathematicis minime versantur, nullæ Logicorum regulæ satis esse possunt, ut rem aliquam methodo hac Synthetica docere valeant.

CAP. VII.

De disputatione Dialectica.

§. I.

Disputatio *dialectica* ea proprie est, quæ inter duos instituitur, qui alternatim proponunt, atque respondent; quemadmodum ex ipso *dialecticæ* vocabulo passim explicat Plato: est enim διαλέγομαι cum altero disserere. At fieri potest disputatio vel *socratica* methodo; vel *syllogistica*, idque sive analyticως, sive syntheticως. Et prior quidem dicitur Socratica: quia ea potissimum disputando utebatur Socrates; ut ex Platone & Xenophonte discimus. Ea ex Platonis, & Xenophontis lectione discitur commodius, quam ex ullis præceptis dialecticis. Duobus præcipue tota Socratis disputandi methodus nitebatur. I. *Definitionibus*. II. *Inductionibus*, idest singularium similium diligente enarratione, & comparatione, quo posset clarius, id, de quo agebatur, intelligi, & aut demonstrari, aut refelli.

§. II.

Ergo in hac familiari disputatione, qui alium aut docere, aut confutare vult; primum se rei, de qua agitur, aut omnino imperitum simulat, aut vix summa quædam capita doctum. Quod ita faciendum est, ut ironia lateat. Deinde minutatim illum, qui cum disputat, interroget, & analytica methodo paulatim, quasi illo minime sentiente, ad veritatem ducere conetur. Tum ejus responsa magna humanitate & affabilitate excipiat: indolem, capacitatem perspicacitatem laudet, & si junior sit, magnam de illo spem animo concepisse simulet: caveat a verbis paulo asperioribus: ab ironicis gestibus, aut nutibus,quæ alterius animum exasperare, atq; a disputatione avertere possunt. Jam postquam omnia laudaverit,

ejus

ejus responsa, velut quæ minus intelligat, revocet ad incudem, examinetque acute quidem, sed humanissime. Eam vero methodum sectetur, quousque is idem, quocum disputat, fateatur se victum, testimoniumque ipse adversus se dicat. Nam & hoc sæpe dicebat φιλοτρώπος Socrates, se in controversiis nullum alium velle judicem, quam eum ipsum cum quo disserebat. Addebat se nihil scire, sed efficere interrogando ut adolescentes, quæ scirent, proferrent; adeoque se Ostetrici similem esse, quæ non pariat, sed alias ad parturiendum adjuvet. Sed nisi Xenophontis & Platonis libri legantur, inutilia hæc erunt, quæ monuimus. Assuescere quoque paulatim huic disputandi methodo admodum est utile.

§. III.

SEquitur disputatio Syllogistica, quæ pressior est & arctior, quandoque etiam iracundior, atque idcirco fœdior. Memini ego, cum puer essem, ad pugnos etiam ventum in Scholasticis concertationibus. Non illæ describi elegantius possunt, quam Juvenalis verbis.

.... sed Jurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus; hæc tuba rixæ.
Dehinc clamore pari concurritur, & vice teli
Sævit nuda manus: paucæ sine vulnere malæ,
Ludere se credunt ipsi tamen, & pueriles
Exercere acies... sane hunc in modum veritas amittitur potius, quam reperitur. Itaque servanda quidem est Scolastica disputandi methodus, sed sine odio & ira.

§. IV.

HÆc autem disputatio sic instituitur. Disputantium unus propositionem aliquam statuit: alter eam inficias it. Propositio hæc controversa appellatur. Porro qui propositionem statuit pergit illam argumentis confirmare: qui eam negavit, argumentis respondere se comparat.

tat. Ergo prior ille primum conformat argumentum: alter istud excipit, & repetit integrum, deinde argumenti propositionibus singillatim respondet, falsas negat, veras concedit, ambiguas distinguit, eas quæ ad rem non faciunt transmittit. Plerumque etiam argumentum retorquet, idest ex principio ab argumentante posito aliud conformat argumentum contra argumentantem. Plerumque respondet per *instantiam*, idest ex principio ab argumentante posito simile conficit argumentum, quod sit falsum, ut sic ostendat adversarii argumentum & ipsum esse falsum. Sed qui aut argumentum retorsit, aut per *instantiam* respondit, ex disputationis Scholasticæ legibus, tenetur deinde *directe*, &, ut inquiunt, *in forma* respondere. Ceterum argumentans responsionem excipit, conaturque probare, id quod est ab altero negatum. Ita disputatio procedit. Ejus autem disputationis lex fundamentalis est, *ut argumentans semper in conclusionem deducat propositionem negatam, quæ & controversa dicitur.*

§. V.

ARgumenta esse solent aut *Syllogismi*, aut *Enthimemata*: at, quoniam Enthimemata sunt trunci Syllogismi, Syllogismi tantum naturam, & constitutionem explicabimus. Syllogismus est argumentationis species, quæ tribus propositionibus arctissimo inter se nexu copulatis constat. Priores duæ propositiones vocari solent *præmissæ*, & prima quidem *major*, altera vero *minor*: tertia vocatur *complexio*, *conclusio*, *consequens*, *consequentia*. Quamquam Dialectici, qui severius loquuntur, consequentiam distinguunt a *consequente*, & *consequens* vocant tertiam propositionem, *consequentiam* vero appellant connexionem *consequentis* cum *præmissis*. Hinc *consequens* dici solet *verum*, vel *falsum*, *certum*, vel probabile: consequentia vero bona, vel mala; *bona* quidem si ex regulis dialecticis, *mala* si contra regulas inferatur. Quod si inter premissas & consequens nulla est connexio, tum nulla esse consequentia dicitur, totusque negatur syllogismus, veluti

A =

A = B:

C = B:

ergo D = A. . . . quum nulla sit vis consequentiæ syllogismus ineptus est & falsus.

§. VI.

EST autem syllogismus omnis aut *affirmans*, aut *negans*. *Affirmantes* sunt; quorum complexio *affirmans* est; *negantes*; quorum est *negans*. In affirmantibus hoc agimus, ut demonstremus attributum propositionis controversæ in subjecto contineri: in negantibus ostendimus, attributum *Controversæ* adversari subjecto. Ergo Priores concludunt vi medii *identitatis*, *similitudinis &c.*: posteriores vi medii *distinctionis*, de quibus supra est dictum.

§. VII.

UT autem syllogismi rite concludant septem regulas Logici tradiderunt. His regulis tria hæc axiomata præponit Autor *Artis cogitandi*. I *Propositiones particulares continentur in universalibus ejusdem generis*, *non item contra*. Ex. g. hæc propositio, *ferrum igne liquefit*, continetur in hac ejusdem generis universali, *omne metallum igne liquescit*, non autem hæc in illa. II. *Attributum propositionis affirmantis semper sumitur particulariter*, idest non potest habere majorem latitudinem, quam habet *subjectum*. Ex. g. *Quadratum est figura rectilinea*: τὸ figura rectilinea, quod est attributum propositionis, non accipitur pro tota sua extensione, alioquin quadratum esset triangulum, trapezium &c., sed tanta cum extensione, quanta est extensio notionis quadrati. III. *Attributum propositionis negantis latius patet suo subjecto*. Ex. g. *Cubus non est figura plana*, idest non est ulla figura plana.

§. VIII.

§. VIII.

Regulæ porro sunt hujusmodi. 1. *Syllogismus neplu- ribus, quam tribus terminis conformator, extremis nempe duobus propositionis controversæ, & medio.*

Ut hæc regula intelligatur, tradendus est ordo conficiendi Syllogismi. Statuatur propositio aliqua; ea conflatur *subjecto & attributo*, duobus nempe terminis. Si hæc propositio controvertatur, tota controversia huc redibit, attributum conveniat ne subjecto, an adversetur. Si mihi probandum sit convenire, Seligam medium *congruentiæ*, id erit tertius terminus: cum eo singillatim comparabo priores duos, efficiamque Syllogismi præmissas: at complexio ipsa semper erit propositio controversa. Agitur utrum A sit = B; negas: demonstro. Assumo tertium terminum C.

A = C:
B = C:
ergo A = B.

Quod si propositio affirmetur, mihique sit probandum, eam negandam, adhibeo medium distinctionis

B θ X:
A ft X:
ergo A ft B:

Ex tribus, uti est perspicuum, tantum terminis conficiendus est syllogismus. Si quartus accedat erit sophisma: ex. g.

A = B:
D = C:
ergo A = D,

§. IX.

Sequitur secunda regula. *Oportet semel saltem medium universaliter sumi, idque seu sit medium identitatis, seu distinctionis.* Ejus regulæ ratio est, quod medium bis sumtum *particulariter*, non unum est; sunt potius duo: at id syllogismi unitatem dissolvit. Eam igitur ob causam sequens syllogismus est falsus.

Quæ-

Quædam figura est circulus:
Quædam vero figura est & quadratum:
Ergo quoddam quadratum est circulus.

Nam quamquam *præmissæ* sunt veræ, at medium non unum est: *τὸ enim quædam figura* in majori quidem propositione posita non est *τὸ quædam figura* posita in assumtione: in illa circulus est: in hac quadratum. Atque hæc regula intelligitur etiam locum habere, si medium sit in utraque propositione attributum in syllogismis affirmantibus, per axioma 2.

§. X.

Regula III. *Termini consequentis esse nequeunt universaliores, quam sunt in præmissis*. Sint universaliores; ergo non continentur in præmissis (per ax. 1.): nec ergo ex illis manat *consequens*, ac proinde nulla est *consequentia*. Ita hic Syllogismus eam ob rem est falsus.

Omne triangulum = *tribus rectis*:
Omne triangulum est figura:
Ergo omnis figura = *tribus rectis*.

Figura enim in assumtione *particulariter* sumitur, in consequente universaliter.

§. XI.

Regula IV. *Ex præmissis negantibus nihil concludi potest*. Nam nihil concludi potest affirmando; deest enim medium identitatis: nec negando; non enim ex eo quod A & B non sint idem cum X, sequitur non esse inter se idem, alioquin duæ lineæ palmares non essent æquales, quod eidem semipalmo non sint æquales. Ex.g.

Sinenses non sunt Christiani;
Itali non sunt Sinenses:
Ergo Itali non sunt Christiani.

§. XII.

Regula V.: *Ex affirmantibus nequit concludi negando*. Nam si ex duabus affirmantibus negantem deducas, ea de se invicem negabis, quæ cum medio conveniunt, quod est absurdum.

§. XIII.

REgula VI. *Si alterutra præmissarum fuerit negans, consequens erit negans*. Nam si alterutra præmissarum fuerit negans, duorum extremorum propositionis controversæ alterum cum medio conveniet, alterum eidem adversabitur: ergo medium erit principium *diversitatis*: quocirca conclusio sequetur negans.

§. XIV.

REgula VII.: *Si alterutra præmissarum fuerit particularis, & consequens erit particulare*: alioquin termini consequentis erunt universaliores, quod esse nequit (ex ax. 1.) Duæ hæ postremæ regulæ una comprehenduntur a Scholasticis, *Conclusionem sequi debere debiliorem præmissarum*. Debilior autem eis est *negans præ affirmante*, *particularis præ universali*.

§. XV.

QUi artem Syllogisticam tradidere infinita alia hoc in loco de Syllogismorum *Modis*, *Figuris*, de Syllogismis *simplicibus & hypotheticis*, de syllogismorum *reductione* differere solent. Ipse Autor artis cogitandi hæc quam diligentissime persequutus est. At sunt ea inutilia: nec enim subsidio sunt disputanti, & nunquam in ipsa scholastica disputatione aut adhibentur, aut in usu veniunt. Ego certe qui & in his studiis pueritiam egi, & adolescens disputavi pluries, & viros scholasticarum rerum Coryphæos disputantes non raro audivi, nec modo-

dorum atque figurarum legibus sum umquam usus, nec alios usos animadverti. Quod si qui est, qui ea etiamdum amet, per me licet: tantum ne sophistici mentem depravet moneo: Experimento enim plurium annorum didici, non parvum in hujusmodi studiis momentum inesse ad gustum germanæ sapientiæ retundendum. *Nec ego nego prospicienda ista? sed prospicienda tantum, & a limine salutanda, in hoc unum, ne verba nobis dentur, & aliquid esse in illis magni ac secreti boni judicemus* (a).

(a) *Seneca Ep.* 49.

F I N I S.



Ex libris Hier